





Theol Reform 672











NUBES TESTIUM

PRO

MODERATO ET PACIFICO  
DE REBUS THEOLOGICIS  
JUDICIO,

ET

INSTITUENDA INTER

PROTESTANTES  
CONCORDIA.


*Premissa est*

Brevis & Pacifica de ARTICULIS FUNDAMEN-  
TALIBUS Disquisitio ; quâ ad PROTESTAN-  
TIUM Pacem , mutuâque Tolerantiam,  
via sternitur.

*Dissertationem exaravit , & Testimonia collegit.*

JOH. ALPH. TURRETTINUS

in Ecclesia & Academia Genevensi Pastor,  
S. Theologiæ & Hist. Eccles. Professor.



FRANCOFORTI & LIPSIAE.

M. D. C. C. XX.

672

76



SCHEER'S THEATUM

PRO

ADRIANO ET PACIFICO

DEI REGNI

JUDICIS

ET

JUSTITIAE

PROTESTANTIS

CONCORDIA

L

ADRIANO ET PACIFICO

DEI REGNI

JUDICIS

ET

JUSTITIAE

ADRIANO ET PACIFICO

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

DEI REGNI

JUDICIS

ADRIANO ET PACIFICO

DEI REGNI

JUDICIS



ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRÆSULI,

GULIELMO

Divina Providentia

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,  
TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI  
ET METROPOLITANO.

SERENISSIMO MAGNÆ BRITANNIÆ REGI

GEORGIO

A SECRETIORIBUS CONSILIIS,

JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS  
S. P. D.

*C*uinam melius Pacificum hocce Tentamen in-  
scribi queat quàm Tibi, ILLUSTRIS-  
SIME AC REVERENDISSI-  
ME PRÆSUL? Quem verè moderatum &  
\* 2 paci-



pacificum Theologum esse, Concordiæque inter Pro-  
 testantes instaurandæ studiosissimum, ii soli, quibus  
 planè ignotus sis, possunt nescire. Vel solus aspectus  
 Tuus, ut ad gravitatem tanto fastigio dignissimam,  
 ita & ad omnem humanitatem & mansuetudinem  
 compositus; vel solum adloquium (expertus loquor)  
 singulari quadam facilitate ac suavitate tempera-  
 tum, qualis sis, & qualis Tua sit Theologia, abun-  
 dè docent. Sed nec publica, Literis que consignata,  
 desunt, pacifici Tui verèque Christiani ingenii mo-  
 numenta: *Qualis eximia illa Concio in Rom. XV.*  
*5. 6. 7.*; quâ, ut ad Britannia Vestra, ita & ad uni-  
 versi Protestantium Orbis consolidanda vulnera, per-  
 quam opportuna ac salubria profers remedia. Sed  
 quid longè quero, quod ad manum est? cùm sit, hac  
 ipsa in Collectione, præclara illa GRATIÆ TUÆ  
 ad Ecclesias Helveticas, nostramque adeò Geneven-  
 sem, Epistola; in qua, quantoperè, Tibi cordi sit  
 Concordiæ negotium, prægnantissimis verbis testaris:  
*Quam si quis neget verè Christianam, verè Aposto-  
 licam, hoc est, pietatis, caritatis, sapientia, modera-  
 tionis, spiritu plenissimam, eum profectò, & Chris-  
 tum ipsum, & Christianismi indolem, ignorare pla-  
 nè*

nè



nè necesse est. Habeo & ego (liceat dixisse) atque inter pretiosissima mea reputo, binas insuper prorsus eximias de eodem argumento Literas, quas ad me scribere, non ita pridem GRATIA TUA dignata est, quibus adcuratissimam cognitūque dignissimam narrationem instituis moderati veréque sapientis REGUM Vestrorum atque PRÆSULUM, totiūque adeò ECCLESIAE Vestrae, de quaestionibus ad Prædestinationem pertinentibus, iudicii; quo factum, ut, à longissimo jam tempore, lis nulla, de sublimi illo argumento, inter Vos intercesserit.

Et hæc quidem, PRÆSUL ILLUSTRIS-SIME, ut venerandum Tuum Nomen Irenicis hisce Chartis præscriberetur, abundè jam poterant sufficere. Verùm alia subest ratio, quâ auditâ, meæ hac in parte audaciæ, uti quidem spero, ignosces. Scilicet hîc adest SYNODUS, ex variis Sæculis, variisque Gentibus collecta; SYNODUS, quâ hæud scio an ulla præstantior aut sapientior unquam exstiterit; SYNODUS, à qua absunt quàm longissimè, cæterarum penè omnium vitia atque incommoda, ignorantia, præcipitantia, pertinacia, studia



partium, anticipatæ opiniones, contendendi ac vincendi Adversarios libido; quibus quidem ad Synodos omnes avertendas adductus fuerat Gregorius Nazianzenus. Nihil horum in hac nostra SYNODO occurrit. Omnia placidè, pacatè, sapienter, Christianè, in ea procedunt. In nomine CHRISTI verè congregata, ad DEI CHRISTIQUE gloriam, & ECCLESIAE pacem, unicè dirigitur. Vides quò tendam, PRÆSUL ILLUSTRISSIMÈ. Synodo omni, Præside opus est. Quem verò Præsidem se digniorem, sibi convenientiorem, nostra hac Synodus inveniat, quàm TE? Qui principem locum, citra controversiam, inter Protestantés omnes Ecclesiasticos Viros occupas; Qui ECCLESIAE, omnium, quæ patet Orbis, præstantissima ac sapientissima præes; Qui eam, quæ hîc urgetur, Concordiam, quammaximè in votis habes; Qui denique iis fulges dotibus, ea fama, ea gratia, ea auctoritate, quæ talis Conventûs Præsidem deceant. Sinito igitur Te exorari. Tot Virorum, doctrina, sapientia, moderatione insignium, sententiis ac definitionibus præesto; hisque Tuo calculo, tuoque patrociniò, pondus addito.

Cum



Cùm verò Synodales Constitutiones vim Legis haud facile obtineant, sine Regum ac Principum auctoritate, (quod à Te ipso non uno in Opere doctissime demonstratum est) Tuum erit, Præsidium morè, pacifica hujusce nostri Concilii Decreta, Potentissimo ac Sapientissimo Vestro **MONARCHÆ**, verè nunc dierum **PACATORI ORBIS**, **HERCULI PACIFERO**, quæ sunt Veterum Imperatorum in Nummis adpellationes; Divinâ Providentiâ, ad id operis, de quo hîc agitur, quasi delecto atque designato, exhibere & commendare; utque illa rata habeat, & valere jubeat, contendere. Neque verò id, nisi nos spes fallat, à **REGIA MAJESTATE** impetrare arduum erit. Est hoc hereditarium in **AUGUSTISSIMA EJUS FAMILIA**, \* ad moderatas & pacificas, de Dissidiis Ecclesiasticis, sententias propendere. Est & illud Ejus indoli ac sapientiæ consentaneum. Quòd si verò id non adprobet modò, sed & cordi habeat, Regiisque suis consiliis atque conatibus promoverè dignetur, quin præstantissimum illud opus, Divinâ accedente Benedictione, ad optatum finem facile perducatur, nemo ambigit. O bea-

\* Les Cours de BRUNSVIC ont toujours été des plus moderées de ce costé-ci, & aussi leurs Theologiens. **LEIBNITS**, Lettre du 12. Octobre 1707.



O beatum diem, PRÆSUL ILLUSTRISSI-  
 ME, Tibique, pro exquisita Tua pietate, jucundis-  
 simum, quò Ecclesia omnes Protestantes, missis dis-  
 sidiis, restinctis odiis, in mutua ruent oscula, trium-  
 phantisque Hierosolymæ, quæ verè Pacis visio est,  
 formam referent! Quæ laus in terris, quæ gloria in  
 Cælis Te manet, si, tot aliis sanctis laboribus, & is  
 quoque accesserit! Ad magna, ad sancta illa, faus-  
 tis auspiciis exsequenda, diutissimè vive & vale.  
 Deus valetudinem Tuam, quam tantisper adfec-  
 tam esse incredibili cum anxietate ex novissimis Tuis  
 intelligo, restituat & corroboret: Tèque, cum floren-  
 tissima illa, cui præes, Ecclesia, iisque omnibus qui  
 Pacis Ecclesia verè studiosi sunt, nullo non benedic-  
 tionum genere cumulet. Datum GENEVÆ,  
 Prid. Non. Octobr. M. D C C. XIX.

PRÆ-







tanta in damnandis Fratribus vel leviter dissentientibus celeritas, tot Ecclesiarum & Academiarum distractio- nes atque Schismata, etiam inter eos qui, Papali excusâ tyrannide, ab Antichristiano illo ingenio abhor- rere, & ad æquitatem ac mansuetudinem se componere magis debuerant.

Remedium tantis malis non aliud certius occurrit, quàm si necessaria à non-necessariis, momentosa à levi- bus, *Fundamentalibus* à non-*Fundamentalibus*, sedulò distinguantur; Illisque constanter retentis, tolerantur, Apostolorum exemplo, in istis discrepantiæ: monente PAULO, ut *in iis ad quæ pervenimus, eadem inceda- mus regula; si quis verò diversum sentiat, expectemus donec & illi quæ latent Deus revelet; eodemque animo affecti simus.* Phil. III. 15. 16.

Fateor equidem, arduam esse, non una de causâ, & periculosæ plenam aleæ, illam necessariorum à non-necessariis, *Fundamentalium* à non-*Fundamentalibus*, distinctionem: Unde non mirum, si diversissimè à Theologis tractata fuerit. Verumtamen, non desunt Principia, quibus ad rectam ejus intelligentiam perve- niatur, si modò deponantur partium studia, præcon- ceptæque opiniones, & ex solis rectæ Rationis & Ver- bi Divini luminibus res judicetur.

Et ad eam quidem elucidandam materiam, aliquid jam operæ à nobis positum fuerat, in *Cogitationibus* quibusdam *de variis Theologiæ capitibus*, Annò 1711. à nobis



nobis editis; à Thesi c XLIII. ad c LXIV. Sed cùm breves illi Aphorismi, utut per sese satis perspicui, suas semper rationes secum non ferrent, neque rem totam proinde in aperta satis luce collocarent, ideò visum est, cùm in Prælectionibus nostris, tum in hac Dissertatione, quæ Prælectionum hanc in materiam habitarum compendium est, eam plenius pertractare, & ad PROTESTANTIUM Concordiam, qui primarius noster scopus est, potissimum referre. Quod an eo modo, qui ad satisfaciendum aptus sit, exsecuti fuerimus, Viris piis & pacis amantibus (nec enim aliorum judicia multum curamus) expendendum relinquimus.

Cùm autem varia sint Hominum ingenia, & alii quidem rationibus, alii auctoritate magis tangantur, idcirco placuit, ex innumeris Testimoniis, inter legendum à nobis notatis, præcipua quædam seligere; eaque, tum ex *Divinis Scripturis*, quarum auctoritas apud omnes sacrosancta est, tum ex *Veteribus Ecclesie Patribus*, tum ex *Reformatoribus nostris*, tum ex *Theologis*, aliisque *Viris Doctis*, seu *Lutheranis*, seu *Reformatis*, imò & *Regibus* quibusdam atque *Principibus*, non minus sapientia quam purpura conspicuis. Quæ quidem omnia Testimonia, uti dictum est in Epistola ad Illustrissimum Angliæ Primatem, SYNODUM quandam venerabilem admodum conficiunt, iis omnibus expertem defectibus, quibus vulgares Synodi obnoxia sunt; cujus proinde definitiones, apud æquos omnes rerum arbitros,



bitros, non possunt non maximi fieri, & summi ponderis esse.

*Quatuor* in classes Testimonia illa digessimus. *Primam* occupant Testimonia illa omnia, quibus ea, quæ in Dissertatione DE ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS dicta fuerant, in genere confirmantur atque illustrantur. Ex his patebit, Viros sapientissimos omnium temporum, & quorum auctoritas in Ecclesia maxima est, in eo semper consensisse, magnum esse inter varia Religionis Dogmata discrimen, & summâ curâ observandum; alia necessaria, seu Fundamentalialia; alia non-necessaria, & à Fundamento distincta: necessaria non nisi pauca, cognitu facilia, omnium captui adcommo-data, à Scholæ tricis falebrisque aliena, sæpe sæpius, & variis quidem modis, in Scripturis iterata atque inculcata; In necessariis unitatem, in non-necessariis tolerantiam adhibendam esse; &c. Non satis, fateor, in iis sequendis Principiis, sibi constiterunt plerique Theologi; sed ea tamen, utpote clara ac evidentia, non potuerunt non *in thesi* admittere; ubi saltem pacatè res considerârunt, neque ab affectibus quibusdam, æstûque contentionis, abrepti fuère.

In *secunda* Classe, ea sunt LUTHERI ipsius, & Theologorum LUTHERANORUM Testimonia, quibus Concordiam sibi cordi esse testantur, eamque pro virili suadent ac promovent. Et hîc etiam, non ea constantia, quæ optanda erat, in multis deprehensa est:

Verùm



Verùm liceat inclementer dicta silentio præterire, & oblivioni tradere; nec nisi mansueta, pacifica, verbò, Magnis illis Viris verè digna commemorare.

In *tertia* Classe comparent ZUINGLI, CALVINI, aliorumque è REFORMATIS Theologorum, loca, ad Concordiam pertinentia, eamque urgentia & commendantia. Hujus generis dicta & scripta, si omnia colligenda atque exscribenda nobis fuissent, non aliquot paginarum, sed plurium voluminum materia hinc exstitisset. Sed hinc præcipua tantum excerpimus, *Helvetica* inprimis & *Genevensis*, quæque cum his connexa erant; ut pateret, jam inde ab ipsis Reformationis temporibus, summam æquitatem ac moderationem (utinam semper eandem, nullisque unquam rigoris maculis adpersam) Theologorum nostrorum fuisse.

In *quarta* Classe, ACTA exhibemus AUTHENTICA, vel initæ pluribus in Synodis, Colloquiis, & Conventibus, vel saltem admodum promotæ, inter *Lutheros* & *Reformatos*, Concordiæ. Hinc patebit, id non esse impossibile, quod ipsò factò non semel factum est; proindeque, quominus hæc Fœdera, mutatis mutandis, & imperfectis majorem ad perfectionem adductis, in exemplum trahantur, nihil obstare.

Inter ea autem, quæ hinc à nobis producuntur, Testimonia, quædam sunt quæ publicam lucem nondum viderant; quæ ex Autographis, vel Apographis fide dignissimis, hinc exhibemus. Hujus generis sunt Episto-

\* \* 3

læ



læ tres Ecclesiarum Helveticarum, TIGURINÆ, BER-  
 NENSIS, BASILEENSIS, ad *Genevenses* scriptæ, de  
 negotio *Bolsæci*, qui *Calvini* de Prædestinatione sen-  
 tentiam impugnaverat. Tale est & fragmentum Trac-  
 tatûs Gallici Parentis mei, FRANC. TURRETINI, be-  
 nedictæ mihi bonisque omnibus memoriæ, de *Concor-  
 dia Protestantium*; nec non fragmenta Epistolarum JOH.  
 HENR. HEIDEGGERI, Theologi Tigurini præstantissi-  
 mi, ad Rever. *Veielium*, Superintendentem Ulmensem;  
 Item, Epistola piissima & sapientissima Illustriss. BUR-  
 NETI, Episcopi Sarisburiensis, ad Celeberr. *Zwingerum*,  
 Antistitem Basileensem; denique fragmenta Epistolæ  
 prorsus eximiae Illustrissimi ac Reverendissimi CANTUA-  
 RIENSIS ARCHIEPISCOPI, hoc ipso Anno 1719. ad *Hel-  
 vetios & Genevenses* scriptæ, ut & Responsi PASTO-  
 RUM & PROFESSORUM GENEVENSIUM, ad illam Episto-  
 lam. Hæc qui legerit, ea magni esse ad propositum  
 nostrum momenti, adeoque non sine causa à nobis in  
 lucem edi, statim perspiciet.

Plura verò, imò longè plurima, ejusdem generis  
 Testimonia, cum edita, tum inedita, à nobis adjungi  
 poterant: Sed, prolixitatis metu, delectum habere, nec  
 nisi maximè conspicua, omissis etiam locis superfluis,  
 aut minùs momentosis, hîc proferre coacti sumus: Quæ  
 re verâ ad scopum nostrum sufficere nobis videntur.  
 Unum tamen est, incogitantia omissum, quod, propter  
 Viri celebritatem, hîc adjicere operæ pretium censemus.

Viri



Viri certè est, quo haud scio an Lutherani celebriorem unquam habuerint, clarissimi LEIBNIZII nempe, magni, dum viveret, Philosophi, Mathematici, Philologi, Historici, sed & addere possumus, Theologi. Is, datis ad me Literis 12. Octob. 1707. de Concordiæ negotio sic judicabat. *J'ay toujours été d'opinion, & je l'ay même marqué dès ma jeunesse, que la Réunion des deux Partis Protestans paroïssoit tres-faisable, & qu'il ne tenoit qu'à des Grands Princes d'en venir à bout. Et la chose paroist encor plus faisable par rapport à ceux qui admettent la Grace Universelle, comme font les Theologiens de Brandebourg, & qui ont les sentimens de Calvin sur la perception réelle. Il est vray que la Controverse sur la Grace Universelle me paroist re-venir à une question de nom, si on l'épluche comme il faut, & par consequent ne de-vroit point arrester.* Hæc ille.

Porro, inter Lutheranos Theologos, quorum testimonia hîc producimus, unus est, ex cujus consensu atque suffragio eam percepimus voluptatem, quâ major dari, in eo rerum genere, non potest. De Eruditissimo & Celeberrimo PFAFFIO loquor, Theologo Tubingensi præstantissimo, qui multis jam Libris egregiis magnam sibi famam peperit, sed qui in primis piæ, sobriæ, pacificæ Theologiæ ita addictus est, eamque tanto successû excolit, ut fructum non exiguum ex Ejus accessione & laboribus expectare liceat.

Quando autem in Viri illius Celeberrimi mentionem  
inci-



incidimus, placet exponere, quibus de caussis, eam quæ nobis cum Ipso intercedebat, de *Contradictoriis*, concertationem siverimus intercidere, neque ad *Dissertationem Apologeticam*, contra nos scriptam, & *Primitiis Tubingensibus* insertam, quidquam responsi à nobis datum fuerit. Non sanè, quòd caussæ diffidamus, & Viri Doctissimi rationibus nos victos existimemus; à quo sumus alienissimi: sed *primùm*, quòd à disputando, præsertim cum Fratribus, & iis quidem Fratribus quos maximi facimus, ita abhorreamus ut nemo magis; *secundò*, quòd hæ Controversiæ ita exhaustæ, ut ita dicamus, inde à duobus Sæculis, fuerint, ut pigeat illas in scenam denuò producere; *tertiò*, quod in *Solutione Questionis* &c. nonnisi quatuordecim exiguis paginis constante, nobis videamur rem totam ita elucidasse, & difficultates omnes à Celeberrimo Antagonista motas ita occupasse ac diluisse, ut novo responso haudquaquam opus fuerit; *denique*, quòd præcipuum, ac ferè unicum, impugnatæ Theseos propositum, scilicet *Contradictoria non modò credi non debere, sed ne credi quidem posse*, quòd id, inquam, non modò agnoscat Vir Celeberrimus, sed & injuriæ imputet, si negetur id agnoscere. Hòc concessò, habeo intentum: Cætera merè incidentia sunt; in quibus etiam, agnoscente Viro Celeberrimo, nec me ulla-tenùs refragante, *nullo sententiarum sed expressionum discrimine divisi, speciem tantùm pugna visentibus præbuimus*. Præf. Primit. Tubing. Utinam omnes qui de  
verbis



verbis pugnant, pari candore id agnosceret, & pari facilitate à pugnando abducerentur!

Fuit & alius, qui, de eodem argumento, adversus me stylum stringeret, putà DANIEL MAICHELIUS, cui nec doctrina, nec ingenium deest, & cujus benevolò in me animo me multum debere gratus agnosco. Is edidit *Examen succinctum* &c. quod tamen 76. amplas paginas complectitur: Quodnam futurum sit *Examen prolixius*, si illud unquam instituat, exinde æstimare licet. Non par pari ipsi referam: Viv enim tot à me voces accipiet, quot paginas mihi opposuit. Verbo dicam; In iis quæ disputat adversus Rationis usum, non suam, sed *Pyrrhonorum* causam agit: Quibus verò argumentis utitur in causa Eucharistica, iisdem & *Anthropomorphitæ* suas Scripturæ interpretationes firmare possent. Paucis loquor; sed intelligenti pauca sufficere, pridem dictum est.

Piget certè, ut quod res est dicam, piget ulterius disceptar; cum plus satis disputationum, absque magno fructu, & multo cum damno, his ducentis annis fuerit. Controversiæ ab utraque parte nimio plus discussæ sunt. Qui ex animo verum quærunt, lux ipsis haudquaquam deest. Qui volunt decipi, decipiantur. Quamobrem, his missis, ad consilia Pacis seriò tandem nos convertamus. Quot quantaque sint, quæ ad id consilii nos impellant atque exstimulent, rationum momenta, hîc dicere nihil adtinet; cum ea sexcenties ex-

\*\*\*

posita



posita sint , & , hac ipsa in Collectione , à Viris summis utriusque partis demonstrantur. Is certè est Germaniæ status , ea sunt Papatûs incrementa atque molimina , hoc ipso tempore quò hæc scribimus , ut , quantum imminet , & *Lutheranis* , & *Reformatis* , periculum , & quanta proinde , ad communem defensionem atque salutem , Concordiæ necessitas sit , nemini jam possit obscurum esse.

Verbum addimus de hac *Collectione* ; quæ quamvis curâ nostrâ in lucem prodeat , cave credas , AMICE LECTOR , nos , quæcumque in singulis Testimoniis occurrunt , ex omni parte adprobare , & nostra haberi velle. Historicos , Collectores , duntaxat hîc agimus. Sua interim cogitata , sua ratiocinia , quisque vindicet. Sed hoc tamen affirmare possumus , longè maximam Testimonium istorum partem verè eximiam esse , & talem quidem , ut quicumque aliquo pietatis & Christianæ mansuetudinis sensu tangitur , non possit non iis legendis mirificè delectari , iisque toto pectore subscribere.

Si qui autem sint , qui de Controversiis , quæ inter *Evangelicos* utriusque partis intercedunt , saltem de tribus præcipuis , de *Eucharistia* nempe , de *Persona Christi* , & de *Prædestinatione* , quæ solæ re verâ dignæ sunt quæ adtendantur , ut par est , edoceri cupiant , earumque conciliandarum , vel saltem Pacis , iis non obstantibus , constituendæ rationes nôsse , hîc habebunt , ut quidem censemus , quod sibi plenissimè satisfaciat.

Imò



Imò hîc reperient, quidquid optimum, quidquid sapien-  
tissimum (quantum saltem nobis videtur) ea de materia  
unquam scriptum est.

Et, si quando DEUS OPT. REGUM ac PRINCI-  
PUM PROTESTANTIUM corda suo Pacis Spiritu ita  
tangere dignetur, ut negotium hoc Irenicum seriò con-  
siderandum ac promovendum sibi sumant, illúdq̄ue à  
suis CONSILIARIIS atque THEOLOGIS, seu in sua  
cujusque Aula, seu Ratisbonæ, seu alibi uspiam, tracta-  
ri velint atque præcipiant, ausim affirmare, pacificam  
hanc Collectionem, ad laudatissimum illum finem, non  
omninò inutilem fore. Quod si unquam fuerit, gaude-  
bo plurimùm, operæque à me insumptæ amplissimam  
eam esse mercedem consebo.

Faxit DEUS PACIS, ut, quanta fuit hætenus ani-  
morum alienatio, & contendendi libido præpostera,  
tantum deinceps passim obtineat, ab utraque parte,  
Concordiæ studium; utque, juxta votum Excellentissi-  
mi JABLONSKI, Serenissimo BORUSSIÆ REGI à  
Sacris Concionibus, *quod Schisma primum Reformatio-  
nis Seculum peperit, secundum aluit, tertium tollat atque  
contumulet.* AMEN. AMEN.

BREVIS










B R E V I S  
D E  
A R T I C U L I S  
F U N D A M E N T A L I B U S  
D I S Q U I S I T I O .



**D**E ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS,  
(quò non aliud datur gravius momento-  
siusque argumentum, seu ut veram ideam  
Religionis habeamus, ejusque essentiam ab  
aliis capitibus minùs essentialibus minùs-  
que momentosis distinguamus, seu ut disca-  
mus piâ & Christianâ moderatione uti er-  
ga illos qui in capitibus non-necessariis à  
nobis dissentiunt, non verò illos damnare, à communione  
nostra ejicere, imò & Orco addicere, prout multis solemne  
est) ut breviter, quantum fieri poterit, dilucidèque verba  
A facia-



faciamus, decem in capita nostram hanc tractationem distribuemus. *Primò* dicemus, quid per *Articulos Fundamentales & Non-Fundamentales* vulgò intelligatur. *Secundò* ostendemus, talem distinctionem re verâ dari. *Tertiò* Notas Articulorum Fundamentalium minùs rectas, minùsque commodas, rejiciemus. *Quartò* eas Notas, quæ optimæ & convenientissimæ nobis videntur, proferemus. *Quintò* expendemus, an certus quidam ac definitus Articulorum Fundamentalium numerus statui possit. *Sextò* videbimus, quomodo agendum sit cum iis quorum dissensus non est fundamentalis. *Octavò* exemplum dissensûs fundamentalis, in nostris cum *Ecclesia Romana* dissidiis, proponemus. *Nonò* exemplum dissensûs non-fundamentalis, in dissidiis quæ inter *Protestantes* intercedunt. *Decimò*, Consilia quædam pacifica ac salutaria, quæ ad Christianorum concordiam faciant, Virorum piorum & pacis amantium examini subjiciemus.



## CAPUT PRIMUM.

*Quid per Articulos Fundamentales, & non-Fundamentales, intelligatur. Distinctiones quædam secuturæ tractationi præmittuntur.*

**A**RTICULI FUNDAMENTALES \* ea sunt Religionis capita, quæ ad ejus essentiam seu fundamentum ita pertinent, tantique sunt in ea momenti, ut, iis demptis stare nequeat Religio, vel saltem præcipua quadam, planèque necessaria, sui parte destituatur. Sic, *Deum esse*, est Articulus Funda-

\* *Articulos fundamentales, & cognitis necessarios*, pro iisdem hic sumimus: nec videmus cur eos distinxerit Vir cæteroquin eruditissimus, solidissimique ingenii, J O H. L A P L A C E T T E, Tract. *de fide Divina*, novissimæ Editionis Lib. IV. planè contra usum receptissimum, & absque idonea, quantum quidem videmus, ratione. Videtur Vir sagacissimus similitudinem à *fundamentis* desumptam nimis urgere, & varios sensus, qui reapse coincidunt, vel quorum uni ab aliis pendent, operosè nimis distinguere.



Fundamentalis, imò Fundamentalium omnium primus; quia, sublatâ Dei existentia, Religionem omnem tolli necesse est. Pariter, *Deum esse Ens beneficum, Cultores suos certissimè remuneraturum*, est etiam Articulus Fundamentalis; siquidem, ablatâ Dei bonitate & munificentia, longè maximum ad pietatem & virtutem tollitur incitamentum. Unde Apostolus, Hebr. XI. 6. docet, *eum qui ad Deum accedit, hoc est, Deum aliquo cultu prosequitur, oportere credere Deum esse, & esse remuneratorem eorum qui ipsum requirunt.*

Cùm verò, sublatâ Religione, vel saltem præcipua quadam sui parte destitutâ, fieri nequeat ut suos exferat fructus, hoc est, nos Deo gratos præstet, & ad salutem adducat, hinc sequitur Articulos Fundamentales eos etiam esse, quorum cognitio atque fides, ad Dei gratiam, salutemque obtinendam, necessaria est.

Denique, cùm vinculum Communionis Ecclesiasticæ sit ipsamet Religio, partésque omnes Religioni essentielles, hinc etiam colligere est, Articulos fundamentales eos esse, quorum professio ad Communionem Ecclesiasticam cum homine aliquo, vel aliqua Societate, fovendam requiritur. Perperam quippe in Religionis societatem cooptarentur, qui Religioni essentialia, atque, ut ita dicamus, vitalia, tollerent aut subruerent.

Et hæc quidem sunt ideæ receptissimæ, quæ *Articulorum Fundamentalium* nomini à Theologis vulgò alligantur. Vellet nonnulli, ut, majoris distinctionis ergò, Fundamentalia *respectu rerum*, seu Religionis ipsius, & Fundamentalia *respectu personarum*, distinguerentur. Quinetiam sunt qui tria genera Fundamentalium, seu necessariorum, distinguant; necessaria *ad Salutem*, necessaria *ad Religionem*, & necessaria *ad Ecclesiam*. Verùm quamvis distinctiones illæ suo fundamento suoque fructu aliquando non careant, ut in sequentibus videbimus, tamen utplurimum, putà in cursu rerum ordinario,



nariò , hæc omnia eòdem redeunt , neque sunt aliud præter diversas Articulorum Fundamentalium proprietates atque sequelas. Etenim , quæ sunt Fundamentalìa *respectu rerum* , seu *Religionis* ipsius , eadem sunt Fundamentalìa *respectu personarum* , quibus Religio debitè proposita est , quæque facultatibus ad eam percipiendam requisitis non destituuntur : Unde fit , ut , sine illis , neque Deo grati , *Salutisque* compotes esse , neque pro veris ac genuinis *Ecclesiæ* membris haberi , in cursu rerum ordinario , possint. Neque verò aliunde meliùs cognoscere licet , quid sit *Religioni* essentialè , quidve ad hominem in *Ecclesiam* recipiendum requiratur , quàm ex iis Scripturæ locis , quibus *Salutis* conditiones statuuntur ; quemadmodum in serie hujus Diatribæ pleniùs demonstrabitur.

Itaque , his missis , præstat alias quasdam distinctiones hòc locò præmittere. Et *Primo* quidem , cùm variæ Revelationes Dei fuerint , aliæ aliis clariores atque ampliores , putà Revelatio merè naturalis , Revelationes Patriarchis concessæ , Revelatio Mosaïca , & Revelatio Christiana , utique , pro variis illis Revelationibus , Articuli Fundamentales variè statuendi sunt. At verò hìc præcipuè agimus de Christiana Revelatione , proindèque de iis Articulis , qui ad ejus essentialiam pertinent , aut non pertinent.

*Secundò* , ut variæ Revelationes , ita & variis , modis innumeris , Hominum status , varium ingenium , variæ dotes , variæ in quibus collocati sunt à Deo circumstantiæ : Quorum omnium , in Articulis Fundamentalibus designandis , rationem haberi necesse est.

*Tertiò* observandum , adversus quædam Religionis capita duplici modo peccari posse ; vel simplici *ignoratione* , vel directâ *negatione* aut *impugnatione* : Quæ quidem *ignoratio* atque *negatio* potest à variis causis ortum ducere , variâsque circumstantias ac sequelas adnexas habere , quarum aliæ aliis nocentiores , vel magis innocuæ sunt.

*Quartò* ,



*Quartò*, duplici etiam modo fundamentaliter errari potest; vel aliquid fundamentale disertè negando, vel aliquid fundamento adjungendo, quod ipsum destruat. Priori modo adversùs fundamentum impingebant, qui negabant Resurrectionem, de quibus Paulus I. Cor. XV. Posteriori modo, illi Galatarum Doctores, quos tam severè sua in Epistola objurgat Paulus.

*Quintò*, cum dicimus, Articulos Fundamentales illos esse, sine quorum cognitione & fide salus obtineri nequit, non id ita intelligendum est, quasi neminem eorum qui aliquem ex illis Articulis ignorant, aut circa illum errant, ad salutem perventurum existimemus. Adest quippe, ut in vitiis atque peccatis, ita & in ignorantia atque erroribus, duplex remedium; alterum à parte nostra, nimirum *Pœnitentia*, seu generalis, seu particularis; alterum à parte Dei, putà ejus *Misericordia*; Quorum ope, ut peccatis gravissimis, ita & gravissimis erroribus, veniæ locum dari posse, à nemine negari potest.

*Sextò*, potest materia hæc omnis duplici modo spectari; vel respectu modi *ordinarii*, quò res procedunt, quémque Deus in Verbo significavit; vel respectu modorum *extra ordinem* positorum, quibus Deus agere potest, & quibus eum sæpe agere, vix potest in dubium vocari. Hic verò agimus de via ordinaria: Extraordinarias Dei sapientiæ & libertati relinquimus.

His in genere ita prænotatis, quorum usus in sequentibus patebit, sequitur ut hanc distinctionem Veritatum atque Errorum, in *Fundamentales & non-Fundamentales*, non inanem esse ostendamus.



~~~~~

## CAPUT SECUNDUM.

*Dari re verâ Articulos Fundamentales, & non-Fundamentales in Religione.*

**D**ari Articulos *fundamentales*, & *non-fundamentales* in Religione, duplici modo demonstrari potest, tum ex natura rei, tum ex Scriptura.

*Primò* id docet rei natura. Ac sanè, si nullâ daretur talis distinctio, dicendum esset, vel nullas esse Veritates fundamentales, & cognitu necessarias, vel omnes Religionis Veritates tales esse: Atqui neutrum dici potest.

Quòd *nullæ Veritates sint cognitu necessariae*, nemo nisi Atheus statuere potest. Ac sanè, quicumque Deum agnoscunt, id saltem agnoscere debent, Dei cognitionem necessariam esse. In Regno vel Republica degentes, non possunt sine culpa ignorare, dari aliquem Principem vel Magistratum sub quo vivunt, & cui morem gerere oportet: Imò debent Leges illius Regni, vel illius Reipublicæ, perspectas habere; Etenim ignorantia Juris, ut notum est, minimè excusat. Quantò magis igitur necesse est, ipsum Orbis Dominum, positâque ab eo Leges, quantum quidem licet, cognoscere? Quòd si verò necesse sit illum Orbis Dominum nôsse, utique, indignas ejus ideas habere, ei turpissima vitia adscribere, eum cum vilissimis Creaturis confundere, eique foedum & crudelem cultum exhibere, fieri non potest quin ipsi displiceat, neque id proinde culpâ vacare existimandum est. Quæ omnia cum dici possint, vel si nulla detur Revelatio, quantò magis, positâ Revelatione, in qua Deus certam sui notionem dederit, & certum sui cultum præceperit, ista cognitu necessaria habenda sunt?

Quòd



Quòd verò omnes Religionis Veritates sint fundamentales & cognitu necessariae, id ita absurdum est, ut à nemine ad rem attendente affirmari queat. Quis enim concipiat, Deum omnes, nullâ exceptâ, Religionis Veritates, ab omnibus & singulis necessario cognosci velle, omnesque proinde pari loco & gradu habendas esse? Quis concipiat, Veritates omnes Chronologicas, Geographicas, Criticas, nomina omnia propria, circumstantias omnes vel minimorum eventuum, ad Religionem pertinentium, cognitu necessarias esse? Sanè Religionis scopus non est, ingenium exercere, & memoriam onerare, ne dicam obruere, tanto Veritatum omnis generis numero. Scopus Religionis est, reverentiam ac amorem Dei animis nostris ingenerare, nósque ad certa officia impellere. Itaque, quæ Veritates ad scopum illum maximè faciunt, sunt maximæ momentosæ; Quæ autem, vel nullatenus, vel parùm admodum, ad finem illum referuntur, eæ procul dubio minoris momenti, adeoque non omninò necessariae existimandæ sunt.

Rursus, qui dicerent Veritates omnes Religionis fundamentales esse, cognitúque ad salutem necessarias, eos oporteret, vel perpetuis terroribus angi, vel seipfos infallibiles censere; ita ut omnes, nullâ exceptâ, veritates perspectas habeant, & in nullo, ne minimo quidem, capite errent. Quis verò sobrius tantùm sibi arrogare auset?

Denique, ut diceretur, Veritates omnes Religionis fundamentales esse, omnesque errores exitiales, id probari necesse esset. At verò id nunquam probabitur. Contrà, & bonitas, & sapientia Dei, huic adsertioni quammaximè adverfantur. Cùm igitur constet, neque nullas esse Veritates fundamentales, neque omnes tales esse, hinc sequitur discrimen illud, inter Veritates *fundamentales*, & *non-fundamentales*, omninò statuendum esse.

Secundò,



*Secundò*, ut id ex rei natura, ita & ex Scriptura evidenter colligitur. Certè I. Corinth. III. 10. 11. 12. apertè distinguit Apostolus inter ipsum *fundamentum*, & ea quæ *fundamento superstruuntur*. Et hæc quidem fundamento supperaddita duplicis statuuntur generis; Quædam bona atque utilia, quæ *aurum, argentum, & margaritæ*, dicuntur; Quædam vana, imò & noxia, quales sunt fuitiles quæstiones, definitiones temerariæ, Cæremoniæ ad superstitionem vergentes; quæ omnia *ligni, fœni, ac stipulæ* nomine veniunt. Illa, in igne Examinis, aut divini Judicii, *salva permanebunt*: Ista verò *exurentur*; sed eorum tamen auctores atque fautores, *tanquam per ignem*, hoc est, non sine difficultate, salvari poterunt.

Pariter Philip. III. 15. 16. distinguit Apostolus, ea in quibus Christiani inter se consentiunt, & juxta quæ eos incedere decet, & alia in quibus, salvâ pietate & concordia, dissentire possunt. *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus*; id nimirum quod de Legalibus Prærogativis & Cæremoniis antea dixerat: *At si quid aliter sentiatis, id quoque Deus vobis revelabit. Interim in iis ad quæ pervenimus, eâdem incedamus regulâ, idem sentiamus*; vel, *eodem modo affecti simus, & concordiam servemus*.

Sic, multis in locis docent Apostoli, quædam tanti momenti esse, ut, qui in iis erret, & à doctrina Christiana recedat, non graviter modò increpandus, sed & à nostra communione removendus sit; velut, Galat. I. 8. I. Tim. VI. 3. 4. 5. 2. Joh. 10. Et hæc quidem momentosa capita variis titulis in Scriptura indigitantur; Vocantur *θεμελίον* *fundamentum*, ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος, vel, τὰ σοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τῆ Θεῶ, *sermo initialis, vel elementa initii Eloquiorum Dei*, ἡ ὑμάνισσα διδασκαλία, vel τὸ πῶς ὑμαινόντων λόγων, *sana doctrina, forma saniorum sermonum*; ὁ λόγος τῆς ἀληθείας, *sermo veritatis*, ἡ διδασκαλία ἡ κατ' εὐσέλειαν, *doctrina quæ est secundum pietatem*; &c. Contrà, aliis in locis docetur, quædam talia esse, ut qui in iis

errant








fit, numerum Articulorum Fidei augere vel minuere. Rursus, præter fidem *implicitam*, quâ credatur quicquid Ecclesia credit, non diffitentur quædam *explicitè* credenda esse: Itaque disputant inter se, quænam illi sint Fidei capita, quæ explicitè credenda sunt; Et alii quidem plura, alii pauciora statuunt, alii verò docent numerum illorum non posse determinari. Quæ omnia satis ostendunt, quantumlibet mutatis nominibus, eos tamen à recepta illa *Fundamentalium & non-Fundamentalium* distinctione non abhorrere.

Denique apud *Protestantes*, & variarum quidem partium, Theologos, ita obvia est, tantòque recepta consensu, distinctio illa, ut eos in testimonium advocare necesse non sit. Itaque, missâ ulteriori celebris illius distinctionis confirmatione, videamus jam, quibus *notis*, seu  *criteriis*, Fundamentalibus à non-Fundamentalibus dignosci queant: Et statim quidem *falsas notas* rejiciamus; deinde *rectiores*, nostro iudicio, *regulas* proponamus.



### C A P U T T E R T I U M.

*Falsæ Notæ Articulorum Fundamentalium rejiciuntur.*

**P**rimo hîc sese nobis offert sententia *Pontificiorum*, qui volunt, ea omnia quæ Ecclesia, tamquam de Fide, determinat, eò ipso ad Fidem spectare; proindèque Ecclesiam, suis definitionibus atque Decretis, Articulorum Fidei numerum augere posse. R. Verùm sententia illa facili negotio refellitur. Nam primò, nulli unquam Cœtui, nullisque Doctoribus, talis auctoritas à Deo concessa est. 2. Ipsi Apostoli docent, se *non dominari fidei Christianorum*, neque quidquam iis tradere, nisi quod à Domino acceperint. 2. Cor. I. 24.



I. 24. I. Cor. XV. 3. 3. Jubentur Fideles omnes, expendere quæcunque à Pastoribus docentur; *cavere à Pseudo-prophetis; omnia expendere, quod bonum est retinere; Et, si vel Angelus è cælo, vel ipsimet Apostoli aliter doceant, ipsis Anathema dicere.* Matth. VII. 15. I. Theff. V. 21. Gal. I. 8. 9. Igitur ne minimum quidem dogma Christianæ Fidei adjungere possunt Pastores, nedum ut Articulorum Fidei numerum pro arbitrio augere queant. 4. Vera Ecclesia, & veri Pastores, non aliter dignosci possunt, quàm adtendendo an fundamenta Religionis retineant, an verò ab iis recedant; tantùm abest ut ipsa Ecclesia, ipsique Pastores, eorum immutandorum & multiplicandorum jus habeant. Itaque Nota illa, quam proferunt Pontificii, omninò precaria est, imò verò tyrannica & Antichristiana; siquidem hæc est maxima tyrannis, & intoleranda superbia, sibi tribuere jus definiendi quid ad salutem sit cognitu necessarium, & in tanti momenti negotio Verbo Dei aliquid addere.

*Secunda sententia eorum est qui volunt, quidquid in Scriptura traditur, eò ipso esse Fundamentale: Et huc quidem trahunt verba Pauli, Rom. XV. 4. Quæcunque antè scripta sunt, scripta sunt ad nostram institutionem; nec non illud, 2. Tim. III. 16. Tota Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem in justitia.* R. Verùm, ut jam diximus, quis concipiat, quæcumque in Libris Sacris habentur, cujuscunque tandem generis sint, nomina propria hominum, locorum, animalium, plantarum &c. singulasque circumstantias vel minimorum Factorum, ita cognitu necessarias esse, ut absque illarum cognitione nemo salvus esse queat? Neque verò id sibi volunt ea Pauli verba quæ adducuntur: Etenim sensus locorum illorum non est, singula dicta, singulas voces, singulas syllabas, in Scriptura contentas, aliquid palmarium continere, adeoque cognitu necessarias esse; sed tantummodò, Doctrinam



nam Libro illo contentam, resque capitales in ea traditas, maximo documento nobis esse; in iisque, quidquid ad institutionem, quidquid ad hortationem, quidquid ad emendationem, pertinet, abundè contineri. Imò verò, in loco Rom. XV. 4. & toto capite XIV., fusè docet Paulus, *infirmos in fide tolerandos*; neque alium in finem additur, *Nam quaecunque antè scripta sunt* &c. quàm ut documentis in Scriptura contentis ad mansuetudinem & tolerantiam Christianam erudiamur: Quod ipsum ostendit, dissensum aliquem, in capitibus non momentosis, quanquam Scriptura traditis, haudquaquam capitalem esse.

*Tertia* Nota, quàm multi utuntur, ad Fundamentalibus à non-Fundamentalibus distinguenda, ab *Analogia*, quam vocant, *Fidei*, seu, quod idem est, à Systematibus Theologicis, desumitur. Variæ à variis adhibentur methodi. Hic unum vel alterum exemplum, speciminis loco, referre sat erit. Sic dicunt nonnulli, quaecunque causas Salutis continent, eò ipso ad Salutem necessaria cognitu esse: Atqui, addunt, in Salutis causis, tria distingui possunt, destinatio, adquisitio, & applicatio; Destinatio in æterna Dei Prædestinatione facta est; Adquisitio per meritum & satisfactionem Christi; Applicatio per virtutem & operationem Spiritûs S. Itaque non illa modò omnia, sed & quæstiones omnes ad hæc pertinentes, cognitu ad salutem necessarias esse colligunt. Sunt & alii qui sic arguant: Christus est fundamentum, juxta illud Apostoli, *Nemo potest aliud fundamentum ponere, præter illud quod positum est, Jesum Christum*, I. Cor. III. II. Atquæ in Christo varia spectari possunt, putà ejus Persona, Naturæ, Status, Officia, Beneficia, &c. ad quæ capita, Quæstiones innumeras, imò verò Theologicas omnes Quæstiones, referri posse nemo non videt. R. Verùm, qui ita ratiocinantur, quanquam nihil dicunt quod non sit certissimum, imò & momentosissimum, tamen confundunt id quod ad parandam Salutem neces-

necef-



necessarium fuit, cum eo quod est *cognitu* necessarium. Quæ duo tamen quammaximè inter se differre, vel sola infantium, surdorum, mente captorum, denique Patrum V. T., exempla docere possunt. Res similitudine à cibis desumpta non parùm illustratur: Quis enim nescit, innumera ad ciborum cotionem & distributionem requiri, quæ tamen cognosci necesse esse, ut quis nutriatur, nemo dixerit?

Et hætenus quidem eas Notas rejecimus, quæ *in excessu* peccare videntur: Verùm aliæ sunt quæ *in defectu*, quæ non minùs rejiciendæ sunt. Harum in numero *Quarta* Nota erit; scilicèt illa sola Fundamentalia esse, quæ à Christianis omnibus, atque omni ævo admissa sunt. R. Verùm, si hæc Regula valeret, haud scio an quidquam dici posset Fundamentale; siquidem jam ab ipso Apostolorum tempore fuerunt Doctores, Christianorum nomen ementiti, qui res maximè capitales, maximèque necessarias, eversum irent. Fuerunt v. g. qui Resurrectionem corporum negarent, I. Cor. XV. 2. Tim. II. 18. Fuerunt qui negarent Christum in carne venisse, quemadmodum ex I. Joh. IV. 3. constat. Fuerunt qui Cæremonias Legis ad salutem necessarias dicerent; Imò fuerunt qui necessitatem bonorum operum inficiarentur; quemadmodum ex variis Epistolarum locis apparet. Unde multi Doctores illorum temporum, etiam ex iis qui Christiani dicebantur, vocantur *Αντιχριστοι*, *falsiloqui*, *Pseudo-prophetae*, *Redemptorem abnegantes*, &c. Et quis nescit pestiferas inter Christianos haud multò post exortas Sectas, *Gnosticorum* nempe, *Marcionitarum*, *Manichæorum*, &c. à quibus maximi momenti dogmata, qualis est Dei unitas, necessitas bonorum operum, necessitas defendendæ Martyrio Veritatis, impudenter negata sunt. Itaque, si valeret ea Regula quam impugnamus, vix quidquam Fundamentale dici posset.

Nonnulli (& hæc est *Quinta* Nota quam rejecimus) eò usque restringunt fundamenta Religionis, ut dicant, præter




obedientiam mandatis divinis, & positam in promissis Evangelicis fiduciam, Fundamentale nihil esse. *Æ.* Fatemur nos, obedientiam finem esse, adeoque partem præcipuam Religionis: Nam, ut aiebat Christus ipse, *Si hæc scitis, beati eritis, si modò ea faciatis.* Joh. XIII. 17. *Et finis mandati,* teste Paulo, *Charitas est;* I. Tim. I. 5. *Et Religio pura & immaculata, est, viduas atque orphanos invisere, seque purum à mundanis sordibus servare.* Jacob. I. 27. Verumtamen dici nequit, si modò accuratè loqui velimus, sola obedientia atque fiducia, totam, quanta quanta est, Religionis essentiam constare. Etenim obedientiæ atque fiduciæ fundamentum sunt Veritates, cum natura notæ, tum à Deo revelatæ, quæ proinde fundamenti partem constituunt. Unde Paulus, eo loco quem jam protulimus, docet, eum *qui ad Deum accedat, oportere credere Deum esse &c.* Christus verò docet, *eam esse vitam æternam, ut cognoscatur unus verus Deus, & quem misit Christus Jesus.* Hebr. XI. 6. Joh. XVII. 3.

*Sextò,* sunt qui velint *Symbolum* illud, quod *Apostolicum* vulgò dicitur, Fundamentalium indicium ac veluti mensuram esse. Nec diffitemur, quin hæc Hypothesis ad verum proximè accedat; quâ de re in sequentibus plura. Sunt tamen & nonnulla quæ obstant, quo minùs ei penitùs adquiescamus. Primò enim, cum inter doctos constet, *Symbolum* illud ab Apostolis scriptum non esse, sed multo pòst tempore, & variâsse non uno in Articulo illius exemplaria, utique causâ nulla est, cur Scripto humano, quantumvis antiquo & venerabili, tantùm tribuatur auctoritatis, ab eoque salutis leges pendere existimentur. 2. Neque verò quæcunque in eo exstant, tanti ponderis videntur, ut absque illorum cognitione salus obtineri nequeat. Verbi gratiâ, etiamsi quis fortè ignoraret, quòd de *descensu in Inferos* dicitur, & nomen *Pontii Pilati*, & alia fortè nonnulla, erroribus jam antiquatis opposita, non videretur propterea de Salute periclitari.



clitari. 3. Vice versâ, multa absunt ab hoc Symbolo, putâ quæ pertinent ad mores, quæ tamen cognitu, non minùs quàm factu, necessaria esse nemo dubitaverit. Itaque, missis Criteriis illis, aliisque quæ absque idonea ratione adducuntur, veriores jam tutiorésque Regulas producere conabimur.



## CAPUT QUARTUM.

*Principia, quorum ope Articuli Fundamentales, & non-Fundamentales, dignosci possunt.*

**P**rimum nostrum Principium hoc est: *Nullius rei cognoscendæ, neque credendæ, necessitatem nobis incumbere, quæ nobis clarè revelata non fuerit, & ad quam credendam facultates à Deo necessarias non acceperimus.* Principium hoc evidentissimæ est veritatis. Ac sanè quis concipiat, Deum æquissimum, Hominúmque amantissimum, velle id ab iis credi, quod ipsis non revelaverit, imò clarè non revelaverit, vel ad quod credendum naturâ inepti sint? Inter sæva *Caii Cesaris* facinora hoc memoratur, quòd Leges suas, minutissimis characteribus scriptas, in locis ita editis suspendi curaret, ut vix ac ne vix quidem legi possent, hòcque pacto plures in eas peccare deprehenderentur. Verùm absit, ut tam sævam támque iniquam agendi rationem Enti optimo æquissimóque adscriptam velimus.

Ex hoc autem Principio, hoc porisma magni momenti colligere licet; *Articulos Fundamentales non esse eosdem omnibus, sed pro varia Revelationis mensura, variisque hominum dotibus, & circumstantiis, varios esse.* Ratio in promptu est: Cùm enim variè admodum sese revelaverit Deus, & varias admo-



admodum dotes Hominibus largitus fuerit, diversissimisque in statibus & circumstantiis eos locaverit, fieri omninò nequit, ut omnes ad eandem cognitionis mensuram, eandemque fidem, obligentur.

*Secundum nostrum Principium tale est: Quid ad Salutem necessariò credendum sit, quisve Error à Salute excludat, eum solum decernere posse, qui sit Salutis & Exitii Dominus, adeòque solum Deum.* Principium hoc evidentissimum quoque est; neque à quoquam, qui quidem seriò ad rem adtenderit, in dubium vocari potest. Enimverò, cujus est, quæso, Salutis atque Exitii conditiones statuere, nisi *unius* illius *Legislatoris, qui potest servare & perdere?* Jacob. IV. 12. Unde & colligit Apostolus, *Tu quis es, qui alium damnas?* Ibid. Confer Rom. XIV. 10.

Cùm autem Deus duplici modo voluntatem suam declaraverit, Lumine naturali, & Revelatione, nihil Fundamentale cognitúque necessarium habendum est, nisi quod Deus, alterutro horum modorum, necessarium definiverit.

Et Lumine quidem Naturali, nonnisi pauca hac de re habentur. Hoc unum ferè asseri potest, tanquam Naturâ notum, quod observat Apostolus, *Oportere eum qui accedit ad Deum, credere Deum esse, & esse remuneratorem eorum qui ipsum requirunt.* Hebr. XI. 6.; Quæ duo Principia, cum evidenter adnexis, si quis statueret, & Dei voluntatem cognoscere, cognitam ad praxim revocare, omni ope conaretur, haud scio equidem, an quidquam ipsum fugeret, quod Lumine Naturali necessarium demonstraretur.

Verùm ulteriùs procedit Revelatio; & capita quædam credenda præcipit, tanquam ad salutem necessaria, à quibusdam verò credendis, sub pœna damnationis, dehortatur. Dicit, in cognitione certarum rerum, *vitam æternam sitam esse; qui ea crediderit, placere Deo, beatum esse, salvum fore, &c.* qui verò ea non crediderit, *damnatum iri, placere Deo non posse,*  
mane-



*manere in peccatis suis, iram Dei manere super eo &c.* Ex quibus dictis colligere licet, iis quibus Evangelium nuntiatum est, quique facultatibus ad illud percipiendum requisitis non destituuntur, Articulos illos Fundamentales, cognituque ad salutem necessarios esse.

Verum enimvero, præter illa Capita, quæ disertè, totidemque verbis, necessaria pronuntiantur, *Ea etiam quæ per necessariam ac evidentem illationem ex Principiis illis fluunt, necessariorum seu Fundamentalium catalogo sunt adscribenda: Quod quidem Tertium erit, de hac materia, Principium nostrum.* Ac sanè, Consequentia clara ac necessaria, ejusdem sunt naturæ cum ipsis Principiis, ejusdem ordinis, ejusdem momenti; imò verò in ipsis Principiis veluti includuntur, neque ab iis, propriè loquendo, differunt. Verbi Gratiâ, positò Deo, præcipua ejus Attribute ita necessariò evidentèrque exinde sequuntur, ut non minoris momenti censenda sint.

Sed verò dicimus, *necessariam ac evidentem illationem.* Etenim, Consectaria dubia, obscura, longè petita, in eadem classe cum ipsis Principiis poni, eodemque loco haberi, iniquum esset: Quod si fieret, omnia huc traherentur, nullusque esset Articulorum Fundamentalium finis.

Et hæc quidem est, nobis iudicibus, vera & unica via, quâ res Fundamentales à non-Fundamentalibus, tutò ac facile dignosci possunt; Putà cognitio Voluntatis Divinæ, declaratio ipsius Dei, seu ipsis verbis, seu per necessariam ac evidentem illationem: Etenim, ut jam observavimus, quis Salutis atque Exitii conditiones statuere queat, quis Leges ea de re ferre, nisi ille, imò ille solus, quem penes est servandi ac perdendi arbitrium? Proindèque, *qui res à Deo non revelatas, vel dubias atque obscuras, tanquam Fundamentales Christianis imponunt* (quod facit Ecclesia Romana, aliique fortè qui ejus vestigia calcant) illi profectò, quicumque tan-

C

dem



dem sint, tyrannicè sese gerunt; eamque auctoritatem, quæ soli Deo competit, nefario ausu usurpant.

Verùm, quamvis hæc præcipua sit, imò fortè unica Articulorum Fundamentalium Nota, facilioris tamen & commodioris distinctionis ergò, quædam alia Principia hîc adjungemus. Est igitur *Quartum Principium; Fundamentalium clara, popularia, à Scholæ tricus salebrisque aliena.* Ratio evidens; Cùm enim Religio ex æquo ad omnes pertineat, nec minùs sit Vulgi quàm Doctòrum, imò magis Vulgi quàm Doctòrum, sanè quicquid Vulgi captum excedit, eò ipso pro Fundamentali, seu necessario, habendum non est. Religio certè à Scholasticis argutiis ita differt, ut nihil magis. A plebeïis, & ad plebeïos data Scriptura. Christus gratias agit, quòd hæc, *sapientibus abscondita, infantulis revelentur.* Paulusque, *non multos sapientes* inter Corinthios fuisse asserit. Unde & idem sedulò monet, quanto studio Cœlestis Doctrina à Mundana Philosophia distinguenda sit. Igitur *in simplicitate fides est*, ut verba *Hilarii* hîc adscribamus: *Non enim per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In expedito & facili est æternitas: Jesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.* *Hilar. de Trin. Lib. X. in fine.*

*Quintum Principium: Fundamentalium numero pauca.* Causa eadem quæ superioris: Nec enim minùs multitudine quàm difficultate Articulorum, Vulgi mentes obruerentur: Quamobrem eos angustis Divina bonitas terminis inclusit, *ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitatis memoriæ, plenitudo doctrinæ;* quæ verba sunt *Divi Augustini.* Unde *Casaubonus*, nomine *Jacobi I. Magnæ Britannia Regis*, *Verissimè,* inquit, *in explicatione τῶν ἀπλῶς ἀναγκαίων,* scriptum esse *Rex arbitratur, rerum absolutè necessariarum ad salutem non magnum esse numerum.* *Casaub. Epist. ad Card. Perron.*

*Sextum*



*Sextum Principium : Fundamentalibus sæpe sæpius, & variis quidem modis, in Scriptura iterata atque inculcata.* Est hæc Regula Divinæ bonitatis & æquitatis confectarium : Cùm enim Scriptura non alium in finem tradita fuerit, quàm ut nos *sapientes ad salutem* efficeret, dubitari nequit quin ea quæ ad salutem imprimis faciunt, crebrò in ea proponantur, fortitèrque inculcentur. Certè fundamenta quarumcunque Disciplinarum, non leviter, & quasi currendo, à bonis ac sapientibus Præceptoribus adtinguntur; sed ea subinde repetere atque inculcare solent, usquedùm à Discipulis clarè percipi, eorùmque in animis altissimas radices agere possint : Quis verò dubitet, supremum illum, longèque sapientissimum, Humani Generis Præceptorem Deum, eadem cautione atque prudentia, in cœlestibus documentis tradendis usum esse?

*Septimum Principium : Fundamentalibus pia, hoc est, non modo Pietati neutiquam adversa, sed è contrario ad Pietatem utilia, imò & necessaria.* Ac sanè, non alius est Religionis scopus, quàm nos sanctos efficere. Hic est finis totius Evangelii. Huc spectant, & Mysteria omnia, & Præcepta, & Promissa, & Minæ. Unde vocatur Evangelium, *Mysterium pietatis, Doctrina quæ est secundum pietatem*; Et asseritur, præter *Novam Creaturam*, hoc est, *observationem mandatorum divinorum, nihil juvare.* Itaque hinc clarè conficitur, Quicquid nullius est ad Pietatem usûs, eò ipsò non esse Veritatem Fundamentalem; Quicquid verò Pietatem evertit, neque cum ea stare potest, esse errorem Fundamentalem. Observandum autem, nos non dicere; Quicquid ad Pietatem conducere potest, esse statim Fundamentale: Etenim multa possunt esse pia, vel pietatis speciem habere, quæ Christianismo essentialia non sunt, imò & aliquando, si penitiùs inspexeris, ne vera quidem esse deprehenduntur. Cujus generis multas esse Fabulas, multa humani cerebri figmenta, Sæculorum omnium experientia plus satis docet.



*Octavum Principium* : Sæpe res ipsa Fundamentalis esse potest, modus verò rei, & circumstantiæ, minimè fundamentales. Fluit hoc ex prioribus Principiis. Etenim, cum res ipsa tantum in genere revelata est, & tanquam necessaria à Deo imposita, tunc certè res ipsa tantum pro Fundamentali habenda est, non verò modus & circumstantiæ, quæ pari evidentiâ, aut cum simili necessitatis caractere, revelata non sunt. Et re verâ paucissimæ sunt res, præsertim in Divinis, quarum modum & circumstantias perfectè noscimus. Itaque si modus, & circumstantiæ, & causæ, & adjuncta omnia, pro Fundamentalibus habenda essent, multa essent Fundamentalia minimè clara, captumque nostrum longè excedentia; contrà quàm in Princ. I. & IV. observatum est.


*Nonum Principium* : Duplici modò fundamentaliter errari potest; non modò aliquid fundamentale disertè negando, sed & aliquid Fundamento superstruendo & adjiciendo, quod ipsum inficiat atque destruat. Principium hoc cap. I. jam occupavimus. Ratió est evidens. Nec enim satis est, Veritates Fundamentales ore admittere, si, contrariis adsertionibus, aut agendi modis, ipsò factò evertantur. Satis non est, v. g. unum Deum adorandum docere, si eodem tempore res creatæ, Divi, Angeli, Imagines, Cruces, &c. Ethnicorum exemplo colantur.

Tandem, his omnibus Principiis, quæ ad dignoscenda Fundamentalia non parùm facere existimamus, *Decimum* adjungere libet, quò nostra, seu de nobis ipsis, seu de aliis, judicia, temperentur atque dirigantur; scilicet, *Cum agitur de nobis ipsis, tutius esse, vel à minimis Erroribus, quasi Fundamentales essent, abhorrere, & in Veritatum Divinarum cognitione, quàm longissimè possumus, progredi: At cum de aliis agitur, nonnisi cautè admodum, maximàque cum caritate & mansuetudine, pronuntiandum esse.* Enimverò, ut suæ ipsius salutis consulere, quammaximâ sollicitudine ac diligentia, prudentia

tia



tia jubet, contrà Christianæ Caritatis est, ad cæteros damnandos, & exitialium errorum postulandos, nonnisi invitum, reluctantem, summâ denique rerum ipsarum & Divinorum Oraculorum evidentiâ coactum, procedere.



## CAPUT QUINTUM.

*An certus quidam Articulorum Fundamentalium numerus definiri possit?*

**O**ccurrit hîc Quæstio vexatissima, quàmque nobis non licet intactam relinquere; *Utrum scilicet certus quidam ac definitus Articulorum Fundamentalium numerus statui possit?* Quin Articuli illi, satis ad usum ac institutionem, ab unoquoque dignosci possint, nullatenus dubitamus; imò & Regulas, quarum ope notitia illa haberi queat, superiori capite indicavimus. At verò, ut illi ad certum quendam ac definitum numerum revocentur, ita ut nec plures nec pauciores esse constet, id verò est quod, neque necessarium, neque possibile esse, cum Theologis nostris contendimus. Rationes, cur ita statuanus, hæ sunt.

*Primò*, quia Articuli illi non sunt iidem omnibus. Alii nimirum sub Veteri Testamento fuerunt; Alii sunt sub Novo. Alii iis qui sensum & rationis usum habent; Alii infantibus, pueris, surdis, imbecillo ingenio laborantibus. Alii iis quibus Evangelium liberè audiendi facultas est; alii, quibus Evangelium magna ex parte occultatur, quales sunt, v. g. rustici innumeri, in Hispaniæ aut Lusitaniæ pagis degentes. Alii incipientibus, atque in Christo veluti pueris; Alii pro-  
 vectioribus, quales esse debuerant Hebræi illi, quos ob suam



in discendo tarditatem carpit Apostolus; Hebr. V. 12. Itaque, sicut absurdum esset, vestem quandam communem petere, quæ omnibus staturis conveniat, aut mensuram quandam cibi, quæ omnibus stomachis; aut mensuram quandam laboris, quæ omnibus artificibus; pariter Articuli quidam, qui ab omnibus cognoscendi sint, vix ac ne vix quidem statui possunt.

*Secundò*, quia pro vario concipiendi & distinguendi modo, modò pauciores & generaliores, modò plures magisque speciales, numerari possunt. Ac sanè, in Scriptura ipsa, modò necessaria ad salutem unum ad caput referuntur, modò ad duo, modò ad plura. Modò dicitur, nihil sciendum proponi nisi *Christum crucifixum*, I. Cor. II. 2.; modò docetur, *hanc esse vitam æternam, ut noscamus unum verum Deum, & quem misit Jesum Christum*, Joh. XVII. 3. Modò omnia referuntur ad solam *Christi resurrectionem*; Modò ad solum ejus *in carne adventum*. Modò sola *Fides* requiritur; modò *Fides & Pœnitentia*; Modò *Fides per caritatem operans*; modò *nova Creatura*; modò etiam sola *Caritate tota Lex impleri* dicitur. Quæ omnia satis ostendunt, posse necessaria ad salutem, modò ad pauciora redigi, modò in plura dispesci membra; proindeque certo quodam numero, qui necessariò semper idem fit, circumscribi non posse.

*Tertiò*, quia dubitari non rarò potest, utrùm Doctrina aliqua particularis, verbi gratiâ, confectarium quoddam ex Doctrina momentosa eductum, expositio particularis Dogmatis cujusdam generalis, inter Fundamentalibus reponenda sint. Exempla in Moralibus passim occurrunt; de fœnore v. g., de mendacio, de alea, de eleemosynæ mensura, aliisque innumeris. Quòd si verò in rebus practicis tot dubia emergant, quidni in rebus theoreticis paria deprehendantur? Quis verò, nisi summopere audax, singularum illarum Quæstionum momenta determinare, & Salutis aut Exitii limites in iis statuere audeat?

*Quartò*,




Quartò, ut definiri pro certo non potest, quot sint præcisè Virtutis gradus, quot sint præcisè Officiorum genera, quot sint præcisè bona opera, pii sermones, elemosynæ &c. quæ ab unoquoque requiruntur, ut ad Salutem perveniat, pariter, quinam præcisè cognitionis gradus eum in finem requirantur, non sine summa temeritate à nobis homuncionibus determinaretur. Quid sit ultimum in rebus ejusmodi, quinam sint necessariorum & non-necessariorum limites, dicant illi qui divinarum Perfectionum, divinæ putà Justitiæ, & divinæ Misericordiæ, limites perspectos habent: Nos id captum nostrum superare, libenter agnoscimus. His accedit, (ut verbis utar celeberrimi *Witsii*) quòd *Divina Gratia tenuissimo quandoque filo electos Christo jungat; & ardentissimæ charitatis flammæ, ac sincerissimum Deo placendi studium, in iis se animabus exserant, in quibus perexigua est cognitio Articulorum fidei. Et quis hic, ipso non præeunte Deo, exactè definiat, minimum illud in singulis articulis, ad quod indispensabiliter alligatum sit judicantis Dei tribunal? Wits. in Symb. Apost. Exercit. II. §. XV.*

Postremò, quod de Religione, ejusque Articulis necessariis hîc dicimus, ex cæteris Artibus atque Disciplinis non parùm illustratur. Quis enim dixerit, exempli causâ, quot præcisè Veritates ab eo nosci debeant, qui, vel peritus Logicus, vel peritus Mathematicus, vel peritus Jurisconsultus, haberi velit? Imò quis dixerit, quid præcisè alimentorum, ad vitam sustentandam, requiratur? Neque tamen, ob illam ignorantiam, periculum est, ne nos fame consumi sinamus. Sed &, quis dixerit, quot ciborum genera, & quot venenorum species, in Orbe reperiantur? Quod tamen non impedit, quominus, & cibus uti, & à venenis abstinere, optimè possimus. Quid mirum ergo, si de cibus animi salutiferis, erroribusque exitialibus, idem dicatur?

Verùm



Verùm enimverò , inquiet aliquis , quomodo poterit Christiani conscientia tranquilla esse , si ignoret , quot præcisè nosci oporteat , ut salutem adipiscatur ? R. Verbo dicam ; Si quis sincerè veritatem amet , eamque pro viribus quærat , Dei opem imploret , illos adeat qui ipsi possunt lucem præbere , denique nihil negligat , nihil omittat , quo ulterius atque ulterius in Veritatis atque Sanctitatis tramite progrediantur , utique potest pro certo statuere , Deum sibi non defuturum , neque passurum ut quidquam sibi necessarium ignoret ; vel , si quid nesciat , sicubi erret , sicubi cespitet , Deum benignè ipsi condonaturum , ut Patrem filiis.



## C A P U T S E X T U M.

*Inter eos , quorum dissensus Fundamentalis est , Communio Ecclesiastica haberi nequit.*

**S**equitur , ut videamus , quomodo agendum sit , seu cum iis qui *fundamentaliter à nobis dissident* , seu cum iis quorum *dissensus non est fundamentalis*.

Et ad illos quidem quod adtinet , quin illi sint modis omnibus , æquis tamen atque legitimis , ab erroribus revocandi , & ad saniolem mentem reducendi , dubium nullum est. At , si hæc omnia frustra fuerint , neque consortio illorum uti liceat , quin eorum labe inficiamur , utique , non privata modò familiaritate , sed & Ecclesiastica ipsorum communione abstinendum est.

Expressa sunt eam in rem Scripturæ jussa : Quibus & Rationum gravissimarum pondus accedit.

Loca



Loca Scripturæ hæc sunt præ cæteris. Gal. I. 8. 9. *Si vel nos ipsi, aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* 2. Cor. VI. 14. 15. 16. *Ne impari jugo copulemini cum infidelibus. Quod enim consortium justitiæ cum injustitia? Et quæ communio luci cum tenebris; Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Et quæ consensio Templo Dei cum Idolis?* Quamvis enim de Infidelibus, & Idololatria Ethnica, potissimum hîc agatur, non minùs hæc de Christianis, Ethnicorum superstitionem ac idololatriam imitantibus, intelligenda sunt. Rom. XVI. 17. *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissidia Et scandala, præter doctrinam quam vos didicistis, creant; Et declinate ab eis.* I. Tim. VI. 3. 4. 5. *Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, Et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is turgēt, nihil sciens; secede ab iis qui hujusmodi sunt* Tit. III. 10. *Hæreticum hominem, post unam atque alteram admonitionem, rejice.* 2. Joh. 10. 11. *Si quis venit ad vos, Et hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malis.* Apoc. XVIII. 4. *Et audivi aliam vocem è cælo dicentem, Exite ex ea, popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus, Et ex plagis ejus accipiatis.*

His accedunt Rationes gravissimæ, ex natura Ecclesiæ, Dei reverentia, decoro atque ordine Cultûs Divini, propriæ Salutis cura, emendatione eorum qui errant, & exemplo aliis dando, deductæ: Quæ omnia, brevitatis studio, nonnisi verbo indicamus.

D

CAPUT







ria deducit, v. g. quòd sic usurpetur Dei auctoritas, quod sic *perdantur ii pro quibus Christus mortuus est*, quòd sic *destruatur opus Dei*, &c. ut pateat, quantoperè res ipsi cordi fuerit, hancque Dissidentium Tolerantiam inter primaria maximè-que momentosa Christianæ Religionis officia esse.

Neque verò in eo solùm loco Officium illud præscribit Paulus, sed & in cæteris passim Epistolis. Certè I. Cor. VIII. IX. X. cùm ageretur *de Idolothytis*, ostendit, Christianos minùs rectè sentientes, non modò patienter tolerandos fuisse, sed & cæteros eorum infirmitati se adcommodare debuisse: Quod quidem à seipso factum testatur Apostolus. *Cùm liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum servum feci. Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifaciam; iis qui sub Lege sunt, quasi essem sub Lege, ut eos qui sunt sub Lege lucrifacerem: Ex-legibus, ut exlex, ut lucrifaciam exleges: Factus sum infirmis ut infirmos lucrifaciam: Omnibus factus sum omnia, ut omninò aliquos servem.* I. Cor. IX. 20. 21. 22. Imò verò innuit, versibus sequentibus, se ita agere debuisse, ut posset gloriæ cœlestis particeps fieri. Unde sequitur, quantumcunque quis religiosus sit, & quantumcunque laborem in prædicando Evangelio infumat, si interim careat mansuetudine & tolerantia erga Fratres dissentientes, non posse Deo gratum, Salutisque participem esse.

Et quis eximio illo Charitatis encomio, quod toto capite XIII. ejusdem Epistolæ exstat, ad eandem Tolerantiam non moveatur? Hi quippe sunt inter præcipuos Charitatis characteres, quòd sit *longanimis*, quòd *omnia ferat, omnia credat, omnia speret, omnia toleret*, &c. 4. 7. Quod, si ad vitia atque defectus, non minùs profectò ad errores, præsertim errores leves, & fundamentum Religionis non adtingentes, referendum est.

Verum quidem est, Apostolum, in Epistola ad Galatas, adversus quosdam Pseudo-Doctores vividum admodum esse.

D 2

Sed



Sed id ipsum Tolerantiæ necessitatem non parùm confirmat; siquidem Doctores illi erant *Intolerantes*, volebantque Cæremonias Legis, tanquam ad Salutem necessarias, Christianis omnibus imponi: Quò positò, Christiana Fides non parùm adulterabatur. At, dum in Doctores illos invehitur Apostolus, multus est in caritate & tolerantia, in his ipsis sententiarum divortiis, commendanda, Gal. V. 13. 14. 15. 20. 22. Jubitque, ut *in spiritu lenitatis* erigantur qui ceciderint, & *alii aliorum onera ferant*, Gal. VI. 1. 2. Tandem, postquam docuit, essentiam Christianismi, neque in *circumcisione*, neque in *præputio*, hoc est, neque in observandis, neque in omit-tendis Cæremoniis Legalibus, sed *in nova creatura*, hoc est, in vera ac reali sanctimonia, positam esse, hoc effatum addit, quò tolerantiam dissentientium, in rebus non-fundamentalibus, vovet simul atque præcipit; *Quicumque juxta hanc regulam incedent*, h. e. qui consenserint circa essentiam Christianismi, & juxta hanc regulam vitam composuerint, utcumque de aliis idem planè non sentiant, *pax super eos, & misericordia, & super Israël Dei*, v. 15. 16. Si pacem, si misericordiam, iis omnibus voveat promittatque Apostolus, an ergo damnandi, an Orco addicendi, an à communione Christianorum removendi sunt?

At verò nullus est locus, quò Tolerantia dissentientium in præter-fundamentalibus clariùs præcipiatur, quàm is, quem ex Epist. ad Philippenses, III. 15. 16., superiùs jam adduximus. Quis enim non videat, velle Apostolum, Christianos, *in iis ad quæ pervenerint*, hoc est, in rebus fundamentalibus, *eadem regula incedere*, & *inter se concordēs esse*; Si quid verò *diversum sentiant*, expectare usquedùm *Deus* minùs rectè sentientes *illustret*, & ad perfectiorem Veritatis cognitionem adducat, servatâ interim inter se invicem Christianæ fraternitatis & charitatis compage? Quò & pertinet pathetica illa ad concordiam adhortatio, quæ initio capitis

II<sup>d</sup>i.



II<sup>di</sup>. ejusdem Epistolæ occurrit. Denique vult Paulus, τὸ ἐπιεικὲς Christianorum, eorum *moderationem*, mansuetudinem, & in ferendis aliorum defectibus ac infirmitatibus facilitatem, *omnibus innotescere*. IV. 5.

Sed nec dubium est, quin tot hortationes, ad se mutuò *tolerandum*, cum omni mansuetudine & modestia, ad servandam spiritus unitatem per vinculum pacis, ad veritatem cum caritate sectandam, ad omnem amaritudinem, iram, excandescentiam, clamorem, maledicentiam, deponendam, ad induenda viscera misericordiae, benignitatis, modestiae, mansuetudinis, lenitatis, ita ut alii alios tolerant, sibi que mutuò condonent, Ephes. IV. 2. 3. 15. 31. 32. Coloss. III. 12. 13. dubium, inquam, nullum est, quin loca illa, aliáque idgenus, quibus refertæ sunt Apostolorum Epistolæ, potissimum spectent ad dissidia Christianorum Judaizantium cum cæteris Christianis, quibus temporis illius Ecclesiæ non parùm turbabantur. Horum remedium, juxta Apostolos, non aliud erat quàm *Tolerantia*, quâ dissidentes Christiani erga se mutuò uti debuère.

Quæ quidem omnia quanti sint ponderis, ad parem hodiernis hominibus commendandam Tolerantiam, fatebitur, quicumque ad sequentes circumstantias animum advertet. 1. Apostolos infallibiles fuisse. Jam, si Apostoli, qui erant infallibiles, noluerunt pro imperio dissidia illa componere, sed maluerunt Tolerantiam utrique parti commendare, quantum magis nos ita agere decet, qui errori obnoxii sumus? 2. Non actum fuisse de re nihili, sed de materia gravissima, de discrimine Legis & Evangelii, de re neutiquam speculativa, sed ad praxim cultumque non parùm spectante. Quot sunt, bone Deus, quot sunt longè minoris momenti, inter hodiernos Christianos, Controversiæ? 3. Utrunque fuisse argumenta non contemnenda, hinc quidem Legem à Deo datam, illinc Christianæ Libertatis defensionem. 4. Paulum, qui tanto studio Tolerantiam inculcat, zelo Legis, ad furo-



rem usque, antea incensum fuisse. 5. Denique, hæc Tolerantiae præcepta, post visum Petro cœlitus oblatum, & Synodum Apostolicam, data fuisse: Quo tamen viso atque decreto, Controversiæ illæ fatis superque definitæ videbantur. Qui ad circumstantias illas adtendent, illasque æqua lance ponderabunt, utique agnoscent, Apostolicas de Tolerantia præceptiones, si valuerunt ipsorum ævô, multò magis nostris temporibus, nostrisque in Controversiis, valere debere.

Quid multis? Ubicunque Christus & Apostoli, charitatem, mansuetudinem, pacis studium, commendant, ubicunque contrà à rixis, dissidiis, schismatibus nos dehortantur, in iis omnibus locis, eam Tolerantiam imperari, de qua jam agimus, certissimum est. Verùm, ut ejus necessitas clariùs pateat, placet, illis *Scripturæ* testimoniis, gravissimas quasdam *Rationes* adjungere, quas nonnisi indicabimus, fusioem earum explanationem Lectorum peritiæ & pietati relinquendo.

I. Officium nostrum est, communionem colere cum omnibus Christi Discipulis: Nam vult Christus, Discipulos suos esse *unum*, Joh. XVII. 11. 21. 22. 23. Et passim in Scripturis, Ecclesia tanquam *unum Corpus* describitur. Igitur communio colenda est cum iis omnibus de quibus non constat, eos titulo Christi Discipulorum indignos esse: Quo titulo certè indigni non sunt, qui Fundamentalibus omnia retinent, nec nisi in præter-Fundamentalibus à nobis dissentiunt.

II. Tanta sunt, & tam eximia, ea de quibus consentiunt Christiani, in Fundamentalibus concordēs, ut cætera indigna sint quæ ipsos turbent, & à se mutuò sejungant. Argumentum hoc vividè persequitur Paulus, Ephes. IV. 1. 2. 3. 4. 5. 6.; quò locò haud scio an quidquam potentius in gratiam Tolerantiae proferri possit. *Precor vos*, inquit Apostolus, *ego captivus in Domino, ut ambuletis prout convenit ei vocationi quâ vocati*

vocati



vocati estis ; cum omni modestia & mansuetudine , cum animi lenitate , tolerantes alii alios per charitatem ; studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis. Nam , addit , unum est Corpus , & unus Spiritus , sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Unus Dominus , una Fides , unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium , qui est supra omnia , & per omnia , & in omnibus vobis. Qui in rebus tantis nobiscum consentiunt , eorumque magnitudine ac momento , ut par est , tanguntur , næ iniqui in ipsos , & contumeliosi in Christum simus , si eos pro Fratribus habere nolumus.

III. Sublatâ eâ Tolerantiâ quam commendamus , nulla pax , nulla concordia , in Ecclesia stare poterit. Ac fanè ut fit Pax , duæ tantùm dantur viæ , vel *omnimodus Consensus* , vel *Tolerantia* erga leviter errantes exercenda. *Consensus omnimodus* planè impossibilis est : Tanta quippe est ingeniorum diversitas , tam varia institutio , tam variæ dotes , tam varia rerum ipsarum , ut ita dicamus , latera , ut , omnes idem de omnibus planè sentire , fieri prorsùs nequeat. Neque verò id unquam fuit , inde ab Ecclesiæ primordiis , ad nostra usque tempora ; neque unquam , ad finem usque Sæculorum , videri poterit. Quamobrem , ut pax in Ecclesia detur , ad *Tolerantiam* leviter errantium omninò recurrendum est.

IV. Vel ob *omnes & singulas* opinionum diversitates communitio abrumpenda est , vel ob *quasdam* tantùm. Nemo dicat , ob *omnes & singulas* ; Etenim , hoc pacto , tot essent Ecclesiæ & Sectæ , quot capita. Si ob *quasdam* tantùm , quodnam aliud discrimen statui potest , quàm hoc ; Ea nempe quæ ad essentiã seu fundamentum Religionis pertinent , immota retinenda esse ; Ea verò quæ ad fundamentum illud non spectant , Tolerantiæ objectum esse ?

V. Vel credimus , eos qui in rebus non-fundamentalibus à nobis dissentiunt , Deo exosos esse , & damnatum iri , vel non credimus. Id credere , summæ esset profectò crudelitatis

ac



ac temeritatis. Si verò id non credamus, quare illos aversemur? Si credimus, Deum illos pro Filiis habere, quidni eos pro Fratribus habeamus? Si credimus, eos in Coelis Deum nobiscum laudaturos, quidni velimus, jam in terris, Deum cum ipsis colere?

VI. Vel credimus, universa, quæ ad Religionem spectant, perfectè jam cognita esse, nihilque amplius detegi posse; vel credimus, dari posse quædam cognitionis incrementa, quasdam receptarum sententiarum emendationes. Prius temerarium prorsus esset, & ab humanarum rerum conditione planè alienum. Imò hæc esset intoleranda superbia, à qua doctissimi quique quammaximè alieni sunt. Etenim *cognoscimus ex parte, prophetamus ex parte*, ut ait Apostolus. Si verò fieri progressus possint, omninò tolerantia opus est, erga illos qui aliquid novi proponunt. Nam Intolerantia progressus omnes sufflammat, exstinguit donum Prophetiæ, & barbariem ac pigritiam inducit. *Quis enim moneat, ut aiebat ille, si monuisse periculum erit?*

VII. Intolerantia non tollit diversitates opinionum, sed efficit solummodò, ut qui à receptis placitis dissentiunt, opiniones suas dissimulent, imò & contra animi sensa non rarò loquantur. Quòd quam indignum sit viris bonis, & Ministris Evangelii, satis pro merito defleri non potest. Dices, malè agere qui sic agunt. Fateor. Sed neque illi, qui, immodico suo rigore, hypocrisi illi ansam præbent, culpa vacare existimandi sunt.

VIII. Tolerantia Veritati amicissima, Intolerantia contrà ei inimicissima est. Nam si Fortes nolint tolerare infirmos, neque infirmi Fortes tolerabunt; Etenim omnes sibi ipsis fortes videntur. Sic omnes se mutuò damnabunt atque proscribent; ac proinde Veritas multis ex locis exulabit. Contrà, si passim regnet Tolerantia, Veritas plena fruatur libertate, Rationúmque momentis ac ponderibus facilè vincet.

IX. Tole-



IX. Tolerantia, Errantibus ad Veritatem adducendis aptissima est; Contrà, Intolerantia eorum institutioni ac emendationi non parùm adversatur. Nam, si eos damnemus, & à communione nostra expellamus, illi à nobis abhorrebunt; & quicquid ipsis dicemus, suspectum ipsis erit. Contrà, si mitiùs cum ipsis agamus, eosque pro Fratribus habere non desinamus, amicè etiam nos respicient, & ad rationes nostras libentiùs æquiùsque animum adpellent.

X. Ex Intolerantia, odia, rixæ, dissidia, schismata in Ecclesiis & Academiis, tumultus in Societate. Dices, potiùs ex tolerantia diversarum sententiarum, schismata exoritura: Verùm, si rectè ad rem advertatur, patebit, mala illa omnia, haudquaquam ex tolerantia, quæ per se mansueta est & innoxia, sed contrà ex spiritu intolerantiæ, originem ducere: Qui si semel suffocaretur, *diversum sentire, illæsâ amicitia, semper liceret.*

XI. Christiani, ac præsertim Doctores, his Controversiis occupati atque distenti, plurimos labores utiliores, magisque necessarios omittunt; In primis studium Pietatis & Sanctitatis eâ de causâ non parùm negligitur.

XII. Efficit Intolerantia, ut Christiani diversarum partium de se mutuò defendendis neutiquam cogitent, adeoque communem causam deserant, imò & prodant. Hinc *Julianus* Imp., ut Christianos per se invicem perderet, dissidentes Doctores accersebat, & secum invicem committebat; gnarus, teste *Ammiano Marcellino*, Lib. XXII. cap. 5. *nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum.* Certè Protestantium causâ, ex intestinis ipsorum dissidiis, quântum detrimenti acceperit, nemo ignorat.

XIII. Ex his dissidiis magnum oritur scandalum. Impii hinc occasionem sumunt Christianismo illudendi; Dicunt, apud Christianos nihil esse certi, eosque, ob nullius non generis quæstiones, se mutuò averfari atque discerpere. No-

E

tum,



tum, quanto apparatu, quantisque triumphis, nuperus quidam Pyrrhonius, varia de Prædestinatione Systemata exagitationaverit, nimiùmque rigorem, quocum hæc materia passim tractatur, suam in rem converterit.

XIV. Qui nolunt, Errores non-fundamentales tolerari, oportet ut seipsos Infallibiles credant. Nam si se crederent errori obnoxios, utique cogitarent, tolerantia sibi ipsis opus esse posse, adeoque parem tolerantiam cæteris non negarent. Dicerent,

*Hanc veniam petimûsque damûsque vicissim.*

XV. Si tolerantia peccatis ac vitiis levioribus concedatur, (quod nemo negaverit.) quidni & ejusdem ordinis Erroribus concederetur? Etenim, an vitia & peccata sunt aliquid levius, quàm cogitationes parùm accuratæ, de rebus sublimibus atque obscuris, quæ aliquando sola in mente resident, nihilque mali extrinsecus pariunt.

XVI. Rursûs, confirmatur hæc Tolerantiæ necessitas, exemplo DEI ipsius, qui tanta patientia atque bonitate Hominum infirmitates tolerat, quique insigni tolerantia usus adparet, in omnibus Revelationibus & Oeconomis. Certè, dum crassis Hebræorum ideis se adcommodabat, humanoque more cum ipsis agebat & loquebatur, quid hoc erat nisi benignissima ipsorum inscitæ, ad adultam usque ætatem, tolerantia? Cujus etiam in Christiana Revelatione non unum specimen existere, quicumque ad rem adtenderit, facilè perspiciet.

XVII. Confirmatur & Tolerantia exemplo CHRISTI. Nam, obsecro, quot errores suis in Apostolis ac Discipulis toleravit Christus, usquedùm immisso Spiritûs igne eos absumeret? Putà, de natura Regni sui, de sua Morte, de Cæremoniis, de Vocatione Gentium, &c. Erant Apostoli non  
rarò



ῥαὶ ὀλιγόπιστοι ; Et tamen debilem illam fidem insigni lenitate ac patientia tolerabat Christus.

XVIII. Confirmatur & eadem Tolerantia exemplo *Apostolorum* : Qui, quanquam Infallibiles, ut suprâ vidimus, tamen, & tolerantiam exercuerunt ipsi, & ab aliis exerceri voluerunt.

XIX. Qua in re & imitatores Successores suos habuere, *Primitivæ* nempe *Ecclesiæ Patres*, saltem piissimos & sapientissimos ; Quos inter, non una opinionum rituumque diversitas pacem Ecclesiæ neutiquam turbabat, quemadmodum præ cæteris ostendit *Socrates*, *Histor. Eccles. Lib. V. cap. 22.* Unde, si qui fortè existerent, qui rigidiùs, quàm par erat, Fratres damnarent, & à communione sua ejicerent, ut *Victor* in causa Paschatis, & *Stephanus* in Quæstione de baptismo Hæreticorum, ausis illis parùm Christianis cæteri obsistebant, eaque vividè increpare neutiquam verebantur. Fateor, crevisse Intolerantiam, unà cum cæteris Ecclesiæ malis, fulminumque ac anathematum, de rebus levissimis, vix ullum finem fuisse. Verùm non sic docuerat Christus : non sic egerant primi ac purissimi Ductores Christianorum : Et quanta malorum ilias inde secuta sit, nemo ignorat.

XX. Denique, ne plura hîc congeramus, consentientes hîc habemus quotquot sunt verè sapientes, novissimorum temporum *Theologos*. In immensa sylva, nonnisi duos, unum Tigurinum, alterum Bernensem, hoc loco adpellabimus. Prior est Vir Clariss. *Joh. Wirtzius*, mediò Sæculò præteritò S. Theologiæ in Schola Tigurina Professor. Is, in *Disquisitione Theologica de Sanctorum Communione, Fundamentum*, inquit, *Communions & Societatis Sanctorum in terra*, est, εἰς θεὸς καὶ πατὴρ, εἰς κύριον, μία πίστις, ἐν βάπτισμα, adeoque consensio & convenientia in fundamentalibus Fidei articulis. Itaque ubi hoc fundamentum non est, ubi non est in fundamentalibus consensus, ibi Societas & Communio, quam in Symbolo profiteamur,



locum non habet, sed istud B. Joannis: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert &c. Ubi verò ἐνότης fundamenti & Fidei Christianæ inconcussa manet, ibi κοινωνία Societasque Sanctorum locum habet, & habere, inconcussaque manere debet, etsi in uno alterove, fundamentum non labefactante directè, dissensio sit, ut & in ceremoniis & ritibus. Quemadmodum enim Ecclesiam non tollunt quælibet dissidia, sed dissidia fundamentum Fidei evertentia, ita nec quælibet dissidia κοινωνίαν & societatem Sanctorum tollunt, sed sola illa, quibus fundamentum Fidei directè, sive totum, sive ex parte, læditur & quassatur. Et mox. Summa; Consensus in fundamentalibus, in necessariis ad salutem dogmatibus, ad Sanctorum Communionem requiritur: In non fundamentalibus etiam, in problematibus, quin & in ceremoniis & ritibus, consensus perpulcher & in optatissimis esset: sed in hac imperfectione, in hac tanta Ecclesiarum particularium, locorum, humanorum ingeniorum diversitate & varietate sperari non potest: Salva autem Sanctorum communio manere potest, consensu in fundamentalibus manente salvo. §. 61. 62. 67. 70. Ex quibus colligit, Ecclesias Evangelicas concordiam inire posse, imò etiam debere. Alter est Vir quoque Celeberrimus, Bened. Aretius, in ipso Sæculo Reformationis Bernensium Theologus. Is, *Problematum Theologicorum* parte III. cap. de Concordia Ecclesiæ, docet, Concordiam illam esse consensum de præcipuis religionis veræ articulis, non obstante donorum diversitate. Iterùm repetit, eam in primis fidei articulis positam esse. Primos vocamus, addit, qui ad salutem necessarij sunt, quos nobis Symbolum expressit; In his obtinere consensum, concordiam dicimus. De reliquis cum non possit transigi, ferenda est judiciorum diversitas: Imò, quod est majus, in iis sæpe liberè fateri possumus ignorantiam nostram; quod Augustinus habet, Christianus ad multa respondere potest, ignoro. Id contra eos valet, qui in minutissimis etiam omnium judiciorum confirmationem exigunt; Ac nisi in omnibus subscribatur, parata habent


bent



bent fulmina, hæreses, sectas, anathemata, imò carceres & mortes. *Exempla si res postularret, produci poterunt non inepta, sed sciamus nos morem hunc Ecclesiæ veræ nunquam fuisse; in ea homines malitiosi illa sustinent incendia, ut possint ἀρωγῆν. Sed cogitent ipsi quàm rem impossibilem requirant & absurdam. Nullum certè unquam ingenium tam elimatum emerfit, cujus iudicio omnium doctorum sententiæ subscriberent. — 2. Et donorum diversitas hoc ipsum secum trahere videtur. Quid enim, si datum mihi non sit quod tibi, aut tibi quod mihi, aut utrique quod tertio, quid, insectabimur dissentientes? Utique pietas hoc non fert. 3. Ac si rem penitiùs inspiciamus, non caret interdum sua utilitate, excitantur ingenia, expenduntur rationes, confertur sibi ipsi Scriptura, ponderantur argumenta, posterique dies intelligunt, quod initio secus videbatur. Rectè ille, imò rectissimè.*

Cæterùm, nos non latet, adversus eam, quàm hîc adstruximus dissentientium Tolerantiam, non pauca objici posse. Sed verò ex antè dictis ita facilè diluuntur, ut iis refellendis immorari necesse non sit. Duo tantùm in genere observabimus. *Primum*, quæcumque contra Tolerantiam objiciuntur, objici contra Scripturam ipsam, contra Paulum Apostolum, quem pro ea stare, eamque studiosissimè commendare, ostendimus. *Alterum*, si qua fortè existant Tolerantiæ incommoda, longè plura atque majora ex Intolerantia nasci. Quod quidem non temerè à nobis adferi, sed experientia Sæculorum omnium comprobari, quicumque in rebus Ecclesiæ, cùm Veteris, tum Recentioris, non omninò hospites fuerint, confitebuntur.





## C A P U T O C T A V U M.

### *Exemplum Dissensûs Fundamentalîs, in nostris cum Ecclesia Romana diffidiis.*

**E**T hæc quidem, quæ hæctenus diximus, nonnisi generalia, maximam partem, fuere. Nunc placet, exemplum *Dissensûs Fundamentalîs*, & exemplum *Dissensûs non-Fundamentalîs*, in celeberrimis, nobisque proximis, Christianorum Societatibus, breviter hîc exhibere; quò positarum à nobis Regularum usus adpareat.

Prioris exemplum non alibi illustrius occurrit, quàm in nostris cum *Ecclesia Romana* diffidiis. Quod antequam ostendamus, nonnulla hîc præmonenda sunt. 1. Ut rectum de Romana Religione iudicium fiat, non adtendendum, quid hic vel ille privatus homo, quid hic vel ille privatus Doctor sentiat, sed adtendendum ad Acta Publica, Conciliorum Decreta, quæ illi pro lege habent, Praxim perpetuam, minimèque damnatam, imò contrà imperatam magno studio atque laudatam. 2. Admittere quidem Pontificios Capita omnia fundamentalia Religionis Christianæ, sed alterò modò à nobis notatò adversus fundamentum impingere, ea nempe fundamento adjiciendo ac superstruendo, quæ ipsum convellant, magnaque ex parte diruant. 3. Non omnes tamen Pontificiorum Errores ejusdem ponderis esse; alios quidem tolerabiles, sed alios tales qui tolerari prorsùs nequeant. 4. Distinguenda quoque tempora: Nam quædam certo tempore tolerari poterant, dum minor esset lux, dum Errores minùs confirmati, dum major dissentiendi libertas, quæ alio tempore, & mutatis circumstantiis, intoleranda prorsùs evasere,

sere,



fere ; postquam major lux affulsit , postquam plura adfuere media investigandæ veritatis , & postquam ea , quæ libera prius erant, in Legis formam abiêre. 5. Distinguendum iudicium de Hominibus , à iudicio de Rebus ipsis. De Hominibus , præstat iudicium cohibere , eosque Dei iudicio relinquere , saltem nisi apertissimæ iudicandi rationes adsint. De rebus ipsis, Dogmatibus nempe, Cultibus, Regimine, ex Dei Verbo iudicare licet.

His prænotatis, fundamentalem esse nostrum ab Ecclesia Romana Dissensum, nullamque proinde, rebus ut sunt stantibus, communionem cum ea iniri posse, his argumentis breviter ostendimus.

I. *Primò* quidem , cum velint , nos ea credere & profiteri, & credere quidem ac profiteri tanquam *Articulos Fidei*, quæ non credimus, quæ falsa esse novimus, imò quæ absurda & contradictoria esse persuasi sumus, sanè non possumus, salvâ conscientiam, cum iis confociari ; Oporteret, nos esse Hypocritas, in re omnium gravissima & momentosissima, & in qua talis simulatio absque summo piaculo admitti nequit. Verbi gratiam, volunt nos credere *Transsubstantiationem*, quam tamen scimus esse infinitarum absurditatum & contradictionum congeriem. Volunt, nos credere *Purgatorium*, suorum *Sanctorum intercessionem* atque potentiam, aliamque bene multa, quæ ad minimum planè dubia, imò falsa & Scripturæ adversa esse novimus. Legatur vel sola *Professio Fidei Pii IV.*, quæ ad mentem Concilii Tridentini scripta est, ejusque decretis adnexa : Patebit, eos qui aliter sentiant, damnari, diris devoveri, adeoque in ea Communionem, absque intoleranda hypocrisi, vivere non posse.

Dices, non omnes ad ea credenda obligari, sed solummodò ad se Ecclesiæ subjiciendum. R. Verùm, præterquam quòd multa obstant, quominus nos ei Ecclesiæ subjiciamus, ut infra videbimus, certè quicumque ei se subjiciunt, eò ipso  
se



se subdicere tenentur Decretis omnibus Conciliorum, iisque proinde Dogmatibus, de quibus jam sermo est.

Regeres, Concilium Tridentinum non ubique receptum fuisse, v. g. in Gallia. R. Sed I. in iis ipsis locis, ubi Decreta de Disciplina admissa non sunt, quemadmodum in Gallia, admittunt nihilominus Decreta de Fide, qualia hæc sunt de quibus dicimus. 2. Pleraque ex iis quæ statuta sunt in Concilio Tridentino, in antecedentibus Conciliis jam statuta fuerant; v. g. Cultus Imaginum in Concil. Nicen. II., Transsubstantiatio in Concil. Later. an. 1215., &c.

Addes, multos tamen esse in Ecclesia Romana, qui hæc non credant. R. Verum illi, nomine Pontificii, re tamen non sunt; suæque Ecclesiæ anathematismis ab ea ejiciuntur: Itaque viderint, quâ bonâ fide, quâve cum conscientiæ pace, in ejus gremio manere queant. Nos certè, ea sentientes quæ nos sentimus, coalescere cum Ipsa, absque summa hypocrisi, neutiquam possumus.

II. Alia est insuperabilis, cur id nequeamus, ratio; nempe Ecclesiæ Romanæ sententia, de suprema Regula, seu *Supremo Judice* Controversiarum Fidei. Si quid momentosum, si quid fundamentale sit in Religione, hoc est procul dubio, Quænam sit Regula Fidei, quinam sit supremus Judex in Religione, quænam sit suprema auctoritas, cui omnimoda fides debeatur? Hic certè, si alibi uspiam, locum habet quod ait *Lucretius*;

*In fabrica, si prava est regula prima,  
Omnia mendosè fieri atque obstipa necesse est.*

Enimverò, si id pro Regula Fidei admittitur, quod sit fallax, & errori obnoxium, hinc nullis non erroribus, nullis non absurdis porta aperitur. Atqui talis est Regula, talis Judex, tale Principium, quod habet Ecclesia Romana, dum dicit  
*Eccle-*



*Ecclesiam*, hoc est, seipsam, esse Infallibilem credendorum normam, esse supremum Controversiarum Judicem, cui se subicere omnes tenentur.

Ne autem dicant, nos sine causa Principium illud rejicere, duo vel tria, omni exceptione majora, hic breviter notare sat est.

Et *primò* quidem, si quid unquam validum est, ad probandum aliquem Infallibilem non esse, hoc est procul dubio, si certissimè constet, eum actu errasse, & quidem modò crassò ac palpabili, & quidem sæpe sæpiùs; in primis verò si ea determinaverit, quæ absurda sint, quæ impossibilia, quæ manifestam & multiplicem involvant contradictionem. Atqui constat, tale quid definivisse Romanam Ecclesiam, dum definivit Transubstantiationem. Ac per consequens, vel sola Transubstantiatio Romanæ Ecclesiæ Principium funditùs diruit.

*Secundò*, ut evertatur Regula Fidei Pontificiorum, magno labore opus non est. Possumus quiescere, eosque velut è longinquo secum invicem pugnantes conspicere. Nam, si Ecclesia sit Infallibilis, vel Infallibilitas residet in Papa, vel in Conciliis, vel in Conciliis simul cum Papa. Atqui Papam non esse Infallibilem, optimè ostendit Ecclesia Gallicana. Concilia non esse Infallibilia, optimè ostendunt Itali. Conciliis cum Papa junctis, pars alterutra fidem etiam non rarò abrogat. Itaque, vel Ipsi soli, nobis tacentibus, & quiescentibus, se mutuò perimunt, suæque Regulæ vitium demonstrant.

Quòd autem non leve sit, & exigui momenti, intestinum hoc ipsorum dissidium, cùm ex innumeris aliis litibus, magno æstu olim agitatis tum ex hodierna præsertim, de Constitutione *Unigenitus*, luce meridianâ clariùs patet. Etenim cernitur magna Ecclesiæ Gallicanæ pars, quæ Papam gravissimorum errorum, circa Fidem, circa Doctrinam de Moribus,

F

bus,



bus, circa Disciplinam Ecclesiæ, publicis Scriptis infimulat. Vicissim Papa adversariis suis iterum iterumque anathema dicit. Alii Episcopi sunt pro Papa; Alii contra Papam: Nec patet hætenus, tantæ contentionis quis exitus futurus sit. Igitur, quàm insani ac imprudentes essemus, si tam momentosis, de Quæstione omnium maxima, putà de Regula Fidei, concertationibus nos implicaremus! In quibus, ut quod res est dicamus, utrique victores adparent, dum adversarios impugnant; utrique victi, dum sua ipsi statuminare ac defendere nituntur.

*Tertiò*, eò justius ab hac Regula abhorremus, quòd omnem Fidei certitudinem adimat, & Pyrrhonismum necessariò secum trahat. Nam, ut certi essemus de Ecclesiæ auctoritate, oporteret eam, vel ex Lumine naturali, vel ex Scriptura, vel ex Ecclesiæ ipsius definitionibus, innotescere. Jam autem, neque ex *Lumine naturali* colligitur; nam illud non est naturâ notum, dari Ecclesiam Infallibilem: Neque ex *Scriptura*, juxta ipsos; siquidem dicunt, Scripturæ auctoritatem & sensum non aliter quàm ope Ecclesiæ cognosci posse; & præterea loca Scripturæ quæ huc trahuntur, planè aliena sunt: Nec denique ab ipsa *Ecclesia*; nam hæc esset ineptissima Principii petitio, dicere Ecclesiæ credendum esse, quia Ecclesia id determinat.

Sed nec satis est, quòd sit Ecclesia, imò Ecclesia Infallibilis, nôsse, nisi sciatur *quid sit* illa, ubi resideat, per quem loquatur; Qua de re, quantum inter se dissideant, mutuisque se telis confodiant, modò diximus.

Rursus, si vel hac de re constaret, sciendum præterea quibus in rebus errare nequeat Ecclesia; An in rebus *Facti*, non minùs quàm in rebus *Juris*; An in rebus *Disciplinæ*, non minùs quàm in rebus *Doctrinæ*; &c.

Adhæc, sciendum, quid requiratur, ut valeant, vimque Legis obtineant, illæ Ecclesiæ definitiones; Si Bullæ Papales,

les,



les, quando censeantur legitimæ? quando Papa, ex *cathedra*, ut aiunt, loquatur? Si Concilia? quando legitima? quænam legitima eorum membra? quinam legitimus procedendi modus? quænam verè Oecumenica? &c. Quæ omnia quàm incertam reddant Regulam Fidei Pontificiorum, quantòque jure proinde illam rejiciamus, nemo non videt.

III. Verùm una ex præcipuis causis, cur dissensum illum, qui inter Nos & Pontificios intercedit, fundamentalem esse affirmemus, ducitur à *Cultu*, qui non modò planè diversus est, sed & talis ut conciliari, atque in unum compingi, prorsus nequeat. Certè eum Cùtum, quem exercet Ecclesia Romana, & sub anathematis pœna injungit, & cujus etiam neglectum gravissimis pœnis temporalibus vindicat, (qualis est adoratio Eucharistiæ, Imaginum, Reliquiarum, Crucis; qualis est etiam Sanctorum & Angelorum Invocatio, & si qua sunt ejusdem furfuris) eundem nos pravum, illicitum, Verbo Dei repugnantem, superstitionis ac idololatriæ plenissimum, existimamus. Non jam agitur de expendendo, utrùm erremus, nec ne. Hoc certum est, dum ita sentimus, non posse nos ei Ecclesiæ, quæ Cultum illum præcipit, consociari. Nam, ut ait Apostolus, de argumento non absimili, *quæ communicatio lucis cum tenebris? quæ consensio Templo Dei cum simulacris?* &c. 2. Cor. VI. 14. 15. 16. Unde mox, verbis Prophetæ colligit, *Exite è medio eorum, & separamini, inquit Dominus, & impurum ne attingite;* &c.

Quæ ratio quàm valida sit, sequentibus observationibus, nonnisi verbo indicandis, confirmamus. 1. Non esse dissensum hunc speculativum, sed totum Præcticum, in quo tota, quanta quanta est, Cultûs divini ratio vertitur, quique proinde gravior momentosiorque esse non potest. 2. Hunc esse scopum Christianæ Religionis, ejusque proinde essentiam ac fundamentum, nos à cultu rerum creatarum, à cultu eorum *qui naturâ non sunt Dii*, ad cultum unius veri Dei transferre:




Unde patet, quàm graviter peccent, qui nos contrà à vero Deo, ad cultum rerum creatarum, imò & mutorum simulacrorum, retrahunt. 3. Quomodocunque incrustetur ac defendatur Cultus ille, certè ipso factò ita constat, Praxique publica haudquaquam damnata ita celebratur, ut in dubium vocari prorsùs nequeat. 4. Denique hæc ratio, si alia ulla, clara est, aperta, facilis, omnium captui adcommodata. Nullo hîc acumine, nulla sagacitate, opus est; Regulæ Verbi Dei apertæ sunt; Praxisque contraria in omnium oculos incurrit.

IV. Postremò, ut errores gravissimi in Doctrina, & Superstitiones intolerandæ in Cultu, ità & Tyrannis in Regimine tanta est, ut jugo illi verè ἀβασάντω, planèque Antichristiano, humeros adcommodare neutiquam possimus. Certè hîc occurrit Monarchia Papalis, planè usurpata; Leges, Christi Legibus planè adversæ; dispensationes à Legibus Divinis, v. g. in Conjugiis; solutio Juramentorum, etiam inter Reges & Principes, quæ quidem summa perfidia, imò & Societatis subversio est; farrago Legum de cæremoniis, quibus Judaïsmus atque Ethnicismus revocatur, & Libertas Christiana prorsùs adimitur; Anathemata in dissentientes, etiam de rebus levissimis, v. g. de numero Sacramentorum; denique supplicia, carceres, cruces, vivicomburia, Inquisitio, &c. Quibus omnibus à Communionem Pontificia ita absterremur, ut, quamdiu stabit Papæ auctoritas, ejus nos regimini submittere, ejusque arbitrio nostram quietem, vitam, fidem, conscientiam, committere prorsùs nequeamus.

Verbo; Excutiatur Papæ jugum; (quod quàm sit intolérable, ipsimet Pontificii hoc tempore nimio plus sentiunt;) Conscientiis vis ne inferatur; Religio ex solo Dei Verbo æstimetur; Exsulent à Cultu, quæcunque Idololatriam sapiunt; Tum de ineunda Consociatione, nobis non invitis nec repugnantibus, consilia haberi poterunt.

CAPUT





## CAPUT NONUM.

*Exemplum* Dissensûs non-Fundamentalis in dissidiis  
 PROTESTANTIUM; eorum nempe qui Lutherani, cum  
 iis qui Reformati dicuntur. Tanta non esse dissidia  
 illa, quin se mutuò tolerare, & concordiam in-  
 ter se inire, facili negotio possint  
 ac debeant.

**V**idimus Dissensum Fundamentalem. Secùs se res habet  
 in iis dissidiis, quæ inter eos intercedunt, qui Papale  
 jugum excussere; Quorum alii *Lutherani*, alii *Refor-*  
*mati*, distinctionis ergò, adpellantur. Etenim, quicumque, se-  
 datis affectibus, & partium studiis valere jussis, dissidia hæc  
 ponderabit, videbit ea talia non esse, ut mutuæ tolerantiaë,  
 piaëque consociationi, utrique parti, cùm aliàs semper, tum  
 hoc præsertim tempore apprimè necessariaë, intercedere va-  
 leant.

Quod ut faciliùs ostendamus, tria in limine præmonenda  
 sunt. *Primum*, non hîc agi de mutanda sententia, quod ut  
 postulare iniquum, ita & impetrare impossibile omninò esset;  
 sed agi tantùm de nobis mutuò ferendis, quæ res piis &  
 moderatis ingeniis difficilis esse non debet. *Alterum*, non  
 attendendum, in hoc negotio, ad dura quædam Privatorum  
 placita, scripta vel dicta imprudenter, opiniones parùm com-  
 modas, sed unicè ad Acta Publica, Confessiones nomine  
 Principum vel Ecclesiarum editas: Quæ & ipsæ, quantæ-  
 cumque sint auctoritatis, tamen, ex mente Protestantium,  
 haudquaquam infallibiles, sed ad Verbi Dei normam neces-  
 sariò exigendæ sunt. *Tertium*, utriusque partis sententias,

F 3

cum



cum earundem confectariis , seu rectè , seu malè deductis, neutiquam confundendas esse ; & confectaria nolentibus, imò & abhorrentibus , haudquaquam esse adscribenda ; saltem nisi illatio ita sit clara & palpabilis, ipsoque factò comprobata, ut , admisso principiò, repudiari prorsus nequeat.

His positis , quis sit *Consensus* Protestantium inter se , & quàm exiguus , præ consensu illo, *Dissensus*, breviter videamus : Unde adparebit, quàm facilis sit, imò & quàm æqua ac necessaria, ea Tolerantia & Concordia, de qua verba facimus.

*Consensus* quantus sit , & quanti momenti, vel ex collatione *Confessionum* utriusque partis, imò vel ex sola *Confessione Augustana*, quam utrique admittunt, ejusque Socii haberi volunt , abundè conspici potest. Utrisque certè solùm Dei Verbum , sola Scriptura Fidei norma est ; humanæque omnes traditiones atque sanctiones ad normam illam exiguntur. Utrisque unus verus Deus religiosi Cultûs objectum est ; nullisque Angelis aut Divis , nullis Crucibus , nullis Reliquiis, nullis lapideis, vel ligneis, vel aliis quibuscunque simulacris, vel minima Cultûs illius umbra adscribitur. Utrisque in solo Christo, ejusque meritis atque promissis, tota veniæ atque salutis fiducia reponitur. Utrisque, nonnisi fide & pœnitentiâ, sed fide vivâ atque efficaci, sed pœnitentiâ seriâ, & bonorum operum studio demonstratâ , aditus ad Christi beneficia, adeoque ad æternam salutem patet. Utrisque Baptifmale Sacrum , & Dominici Convivii solemnia, missis innumeris illis figmentis, quibus ab Homnibus adulterata sunt, ex Christi præscripto aguntur, ejusque gratiam salubri instituto nobis obfignant. Utrisque preces, laudes, gratiarum actiones, eleemosynæ, corpora nostra, imò nos, quanti quanti sumus, veræ sunt hostiæ, vera sacrificia, quibus Deo litatur, missò incruentò illò, planèque impiò atque absurdò, quod alii adjungunt, Sacrò. Utrisque duo tantùm fines, æterna

terna



terna gloria, æternúmque Exitium, Igne intermediô ad avaritiam & superstitionem compositô, Verbi Divini aura difflatô. Quid multis? Univerfa, quanta quanta sunt, Christianæ Fidei Principia, unà cum Papalium Errorum ac Superstitionum rejectione, utrique parti communia sunt. Nec profectò concipi potest, quomodo qui seriò ad hæc adtenderint, eorúmque magnitudine, ut par est, adfecti fuerint, ob unam vel alteram de rebus obscuris tantisper diversam notionem, Fraternitatem abrumpere, & à Deo unà colendo abhorrere sustineant.

Talis est *Consensus*; præ quo si dicamus levissimum *Dissensum* esse; nihil in eo est, quod per se non pateat, facileque non demonstratur. Hic autem non moramur exiguas quasdam Rituum diversitates, v. g. de *cereis*, de *imaginibus*, de *Confessione*, de *Exorcismo* in Baptismo, &c. quæ nec sunt eadem ubique, nec quidquam habent quod concordiam impediatur; siquidem unaquæque Ecclesia suos usus habere potest, eorúmque varia ac libera praxis est, prout in Confessionibus utriusque partis agnoscitur. Sed nec moramur leviores quasdam opinionum discrepantias, quæ, vel meræ sunt logomachix, vel privatorum potiùs Doctorum quàm Ecclesiarum placita, vel mera confectaria, ex certis sententiis ducta, quæ proinde Ecclesiis ipsis haudquaquam adscribenda sunt. Ista omnia in præsentia mittimus; Et de tribus tantùm Controversiis; putà de *Eucharistia*, de *Persona Christi*, & de *Prædestinatione*, (quæ solæ re verâ alicujus momenti videri possunt, & ad quas solas adtendi solet) breviter, animoque pacifico, ac libero, sententiam dicemus.

Et ad primam quidem Quæstionem, *An ipsamet CHRISTI Corpus verè & substantialiter præsens sit in Eucharistia?* licet magna primo adspectu videatur hæc Controversia, tamen, si penitiùs in rem inspexeris, & quid utrique fateantur, adtenderis, fanè plurimùm imminui deprehendetur.

Ac



Ac sanè utrique consentiunt , panem & vinum verè adesse , & ad finem usque remanere , adeoque non converti aut transsubstantiari in Corpus Christi. Utrique consentiunt vicissim, Christum re verâ adesse , imò Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento verè exhiberi , & tantùm præsentia esse, quantum Sacramenti ratio postulat. Utrique consentiunt, Christi Corpus & Sanguinem non adesse modò crassò & sensibili, non adesse per localem inclusionem , non adesse ad modum corporum , sed adesse tantùm ad modum spirituum , seu modo spirituali, imò non plùs nec minùs adesse , quàm Sacramenti ratio postulet, adeoque tantùm *modò Sacramentali* , quâ voce utrique utuntur. Utrique porrò Ecclesiæ Romanæ abusus & superstitiones pariter damnant , Transsubstantiationem , Sacrificium Missaticum , subtractionem Calicis , Sacramenti circumgestationem , elationem , adorationem, &c. Denique utrinque constat , non manducationem corpoream , quæ probis & improbis communis est , sed eam solam manducationem , quæ fide peragitur , salutiferam esse : qua de re disertâ sunt *Lutheri* verba , in *Catechismo Minori* , nec non & dicta notabilia *Brentii*, tum in *Syngrammate Suevorum*, tum in *Exegesi in Johannem* , quæ nos brevitati studentes omittimus. Quid ergo superest discriminis? Certè non de præsentia ipsa, si adcuratè loqui velimus ; nam utrisque in confesso est , corpus Christi tantùm adesse , quantum Sacramenti ratio postulat : De solo ergo præsentia modo inter illos disquiritur , unâ parte eo præsentia genere contentâ , quod planum est ac facile, & Scripturæ stylo consentaneum , alterâ parte prodigiosum quendam , planèque incomprehensibilem , præsentia modum statuente , quem altera , utpote inutilem , & insuperabilibus difficultatibus obnoxium , admittere nequit. Hæc sola dissidii materies ; In qua quid sit , quod ad fundamenta Fidei vel minimùm pertineat , quidve obstet , quominùs alii alios tolerant , usquedùm plenior iis qui errant lux affulserit, haud equidem perspicimus. Neque



Neque verò majus momentum est in altera Quæstione, quæ ex prima illa ortum duxit ; de *Persona Christi* nempe ; *An divinæ proprietates , omnipræsentia , omnipotentia , &c. humanæ Christi naturæ communicatæ sint ?* Certè agnoscit utraque pars , quicquid hîc capitale est ; putà duas Christi naturas , earundem Unionem , absque conversione , absque divisione , absque commixtione , factam ; proprietates utriusque naturæ Christo ipsi adscriptas ; & hoc denique Pietatis Mysterium , de *Deo in carne manifestato* , rem sublimem , humanóque ingenio majorem esse. Cætera , de quibus ambigitur , & per se ita sunt obscura , & ad Logomachiam ita accedunt ( prout ostendit Vir eximius , *Joh. Lud. Fabricius* , Theol. Heidelb. in *Meditatione circa Personam Christi* ) ut durum profectò sit , & à Caritatis lege alienum , illos qui de rebus ejusmodi omninò non consenserint , pro Fratribus habere nolle.

Supereft tertia Controversia , de *Prædestinatione* , quæ nulla vivò *Lutherò* , imò nulla multis pòst annis , in diffidiis *Zanchii* & *Marbachii* , circa annum 1561. erupisse primùm videtur. Sed nec negabat *Zanchius* generalem Dei voluntatem , omnes salvos faciendi , si credant , prout videre est in *Depuls. Calumn.* ; nec de Electione & Reprobatione quidquam rigidius docebat , iis quæ docuerat , *Lib. de Servo Arbitrio* , aliisque in locis , *Lutherus*. Crevit postmodùm hæc Controversia ; omniùmque præcipua à plerisque hodie habetur. Verùm , quantumcunque exaggerentur varii hujus Quæstionis rami , putà , de *Gratia universali aut particulari* , de *Electione ex fide prævisa* , de *Gratiæ resistibilitate vel irresistibilitate* , de *Ejusdem amissibilitate vel inamissibilitate* , sanè quicumque ad rem adtendent , videbunt , de rerum summa magnum utrinque consensum esse , eosque qui in hisce errant ( quinam illi sint jam non disquirimus ) optimos nihilominùs Christianos esse posse. Enimverò consentiunt utrique , 1. Bonum omne à Deo oriri , malum omne à nobis. 2. Hominem liberum ,

G

laude



laude & vituperio dignum, & quoties peccat, inexcusabilem esse. 3. Neminem esse Hominum, qui, si credat & poenitentiam agat, Deo non sit acceptissimus; imò & quem credere, & poenitentiam agere, Deo gratissimum futurum non sit. 4. Eos omnes qui pereunt, propriâ culpâ perire, nullo Dei defectu aut vitio, cui eorum exitium adscribi queat. 5. Nihil in tempore accidere, quod in æternis Dei Decretis, sive statutum, sive permissum non fuerit. 6. Deum uno ac simplicissimo actu omnia decrevisse. 7. Deum redditurum unicuique secundum opera sua, nec nisi æquissimè, sapientissimè, clementissimè, cum omnibus acturum esse. Denique in hac omni materia, de Dei consiliis & viis, multa incomprehensibilia, multa, quorum rationes & modum ignoramus, occurrere; unde illud Pauli, Ω βάθος! *O Abyssus!* huic argumento juxta utrosque apprimè convenit. Quibus omnibus si sequentia adjungantur, 1. *Lutherum* a què durè, imò fortè durius, quàm ullum ex Reformatis, de his rebus locutum esse; 2. *Melanchtonem* qui longè mitius de his rebus sentiebat, & quem Lutherani hodie sequuntur, in summa nihilominus amicitia cum *Luthero*, imò & cum *Calvino* nostro, quamdiu vixerunt, fuisse; 3. Multos Doctores Reformatos, v. g. *Bullingerum*, magnum illum Tigurinorum Antistitem, ad Melanchtonis ideas non obscure accessisse, (unde & dicebatur μελαγχθονίζειν,) quemadmodum videre est, cum ex aliis ejus operibus, tum in primis ex Oratione *de moderatione servanda in negotio Prædestinationis*, &c. 4. Partem non exiguam hodiernorum Reformatorum, putà Præsules Anglos penè omnes, Doctores Brandenburgicos, aliósque magno numero, cum Lutheranis vel planè facere, vel ad eos admodum accedere; 5. Eos ex Reformatis, qui rigidissimè etiamnum de Prædestinatione sentiunt, ab omni pravo sectario, quod inde educi queat, quammaximè abhorrere, & pietatem, non minùs quàm reliquos, commendare atque cole-

cole-



colere ; Si hæc , inquam , omnia adtendantur , & animo pio ac pacifico ponderentur , utique patebit , Quæstiones de *Prædestinatione* , arduas oppidò atque sublimes , non debere animos dirimere , & concordiam impedire ; posse unumquemque propria sententia frui , neque molestiam cuiquam hoc de negotio creandam esse ; nedum ut Ecclesiæ Communio , & Fraternitatis jura , à materia ita obscura ac perplexa suspendantur.

Confirmabitur id quod diximus , de exiguo Controversiarum illarum momento , & æquitate exercendæ his in rebus Tolerantiæ , si sequentia observentur , quæ nonnisi indicabimus , sed quæ diducere atque ponderare , pii ac pacifici Lectoris erit. 1. Quæstiones illas omnes nihil ad Cultum aut Praxim spectare , sed in sola mente residere ; quo fit ut tolerari sententiæ diversæ , & facilè possint , & debeant. 2. Illa vulgi captum superare , neque aliud ferè nisi Scholasticas quæstiones esse. 3. Plurimos , in utraque Communione , de Quæstionibus illis nihil audivisse , vel parùm eas intelligere , vel in iis errare , vel dubios hæerere , & ad sensum cohibere ; Qui omnes , an à spe Salutis , & Sacrorum Communione , removendi sint , Lutheranis Fratribus judicandum relinquimus. 4. Non tam de rebus ipsis , quàm de rerum modo & circumstantiis disputari , quemadmodum suprà ostendimus. 5. In his quæ disquiruntur , non tam proborum quàm improborum causam agi ; putà de indignorum communionem , & divinis circa reprobos Decretis. Quidni verò illos mittamus , utque nos in Fidelium numero reperiamur , duntaxat operam demus ? 6. Utrorumque Hypotheses bono animo prolatas esse ; unde illis , si non laus , certè indulgentia tribui potest. 7. Fuisse tamen aliquid humani in illis disceptationibus , zelum præposterum , iras immodicas , æmulationis & gloriolæ non obscura specimina : qui adfectus nimio plus jam viguere , eosque tandem sedari convenit. 8. Gravissimas , imò



penè insuperabiles, ab utraque parte difficultates occurrere; quod de Prædestinatione in primis dictum volumus. 9. Has de Prædestinatione Controversias, omnium temporum, regionum, Religionum, communes fuisse. 10. Magnis auctoribus, nec facilè damnandis, aut communionem pellendis, sententiam utramque stare: Nam ab una parte stat *Chrysostronus*, & anteriorum Sæculorum Patres, ab altera stat *Augustinus*, & Discipuli immenso numero; Quos omnes, si reviviscerent, utique exosculareremur, nedum ut eos ab Ecclesiis, aut muneribus Ecclesiasticis, arceremus. 11. Prudentiam hoc in negotio ab ipsis discendam Adversariis, à Pontificiis nimirum, qui, cum sint rigidissimi ut plurimum, & à tolerantia alienissimi, tamen, hac ipsa in materia, imò & in aliis longè gravioribus, varias sententias ferunt, earumque fautores in gremio suo retinent. 12. Has Quæstiones, quæ inter nos controvertuntur, ab Augustana Confessione planè abesse, prout à Theologis utriusque partis in Colloquio Lipsiaco agnitum est. 13. Alias innumeras sententiarum diversitates occurrere, non modò æquè graves, sed & graviores longè, quæ tamen ab utraque parte patienter tolerantur: Quidni igitur eadem sit istorum ratio? Denique, (ne plura hinc congeramus) hoc unum quærere velim; An dici potest, sanxisse Deum, *unicum* illum *Legislatorem*, *cujus est servare & perdere*, hæc vel illa Dogmata, inter Protestantes controversa, cognitu ad salutem necessaria esse, hos vel illos Errores oppositos à Salute excludere? Id asserere, summæ profecto temeritatis, animique partium studiis planè excæcati, esset. Quod si verò summus ille Judex talem sententiam non dixerit, quinam nos sumus, qui Deo ipso justiores ac rigidiores haberi velimus?

Hactenus igitur clarè ostensum est, & tantum inter Protestantes *Consensum* existere, & *Disensum* adeò levem, ut *Tolerantia* exerceri, & *Concordia* iniri optimè possit. Verum

rùm



rùm ulteriùs progredimur ; asserimùsque , rem liberam non esse , sed summæ necessitatis , strictissimique officii , sive ex conscientia , sive prudentia fiat iudicium. Dico primùm *ex conscientia*. Nam si Dissensus ille non impediat , quominùs ii qui sic dissentiunt , veri sint Christiani , vera Ecclesiæ Membra , utique communio cum ipsis necessariò habenda est. Quod si non facimus , certè in Caritatis violatæ , discerptique Christi Corporis , crimen incurrimus. Etenim vult Christus , Discipulos suos *esse unum* ; vult Paulus , *unitatem Spiritûs vinculo pacis custodiri* ; quemadmodum nos , capite VIIº. , magno argumentorum pondere ac numero confirmatum dedimus. Rem verò nemo pressius urfit , ad Controversas protestantium quod adtinet , quàm Vir piissimus & pacis amantissimus , SAM. WERENFELSIUS , in *Considerationibus generalibus de ratione uniendi Ecclesias protestantes* ; ad quas proinde , tanquam vividissimas ac urgentissimas , Lectorem amandamus.

Sed , si ex officio & conscientia , non minùs *ex prudentiæ legibus* , Concordia hæc necessaria est. Quis enim nescit , ex ea abrupta , quot mala pullulaverint , quot odia , quot rixæ , quot bella , quantum alterandi & convitiandi cacoëthes , quanta temporis jactura , quantus pietatis & caritatis neglectus , quantus obex Reformationi , quanta Pontificiorum aliorumque adversariorum tripudia , &c. Quorum omnium malorum contraria , ex ea , de qua dicimus , Concordia expectanda sunt.


Cæterùm , ne quis fortè caussetur , nos , rem quidem pulchram , laudandam , optabilem , sed non magis possibilem , quàm quadraturam circuli , vel Lapidem Philosophicum , hoc loco proponere , difficultatem hanc non prorsùs inanem unò verbò diluimus : Scilicèt , quod aliàs jam sæpe factum est , si non per omnes passim Ecclesias , neque constanti satis ratione , sed multis tamen in locis , variisque temporibus ,



quidni fieri etiamnum posset, imò & fieri universale? Atqui nota sunt, omniumque oculis exposita, Concordiæ istius exempla; Putà *Marpurgi* An. 1529. *Wittembergæ* An. 1536. *Sendomiriæ*, aliisque in locis Poloniæ atque Bohemiæ, An. 1570. & sequentibus; *Lipsiæ* An. 1631. *Carentoni* eodem annò; *Cassellis* An. 1661. *Regiomonti* in Borussia, non ita pridem. His addenda Acta plurima Comitiorum Germaniæ, inde ab ipso Reformationis primordio, ad nostra usque tempora, quibus Reformati pro Sociis Augustanæ Confessionis agniti sunt, etiamnumque habentur. His & adjungenda Scripta innumera, tum Principium ac Civitatum, tum Ecclesiarum & Academiæ, tum Virorum utriusque partis Piorum & Moderatorum, quibus Concordia suadetur, promovetur, commendatur, ejusque instituendæ rationes aperiuntur. Quo in censu Virorum Piorum & Pacis studiosorum, nomen suum, insigni sua cum laude, & bonorum omnium plausu, professus nuperrimè est Vir Clarissimus ac Eruditissimus (nec enim exiguam, quæ inter nos intercedit, dissensionem hîc moramur) CHRIST. MATTH. PFAFFIUS, Theologus Tubingensis, tum ad calcem Dissertationis de *Articulis Fundamentalibus*, ubi declarat, Protestantium coalitionem, non rei ipsius, sed hominum vitio, hætenus impeditam esse: tum in *Institutione Theologiæ dogmat., & moral.*, quâ momentum Controversiarum, quæ inter Protestantes intercedunt, sapientissimè ponderat, easque non esse Fundamentales ostendit.

CAPUT





## CAPUT DECIMUM.

*Consilia quædam, ad Concordiam & Tolerantiam  
pertinentia, proferuntur.*

**N**unc superest, ut Consilia quædam, ad eam Concordiam & Tolerantiam, de qua diximus, facientia, breviter proponamus, & Lectorum piorum ac pacis amantium examini subjiciamus.

*Primum* omnium, veram ac sanam Christianismi ideam omnium animis obversari necesse est; utpote qui, non in obscuris quibusdam notionibus, non in Scholasticis argutiis, sed in *nova creatura*, hoc est, in vera pietate & probitate situs est.

*Secundò*, Doctrinarum & Controversiarum omnium momenta, ex Dei Verbo, & sapientiæ legibus, sedulò ponderanda sunt; ne musca, quod ajunt, in elephantem convertatur, *foenumque ac stipulæ* cum ipso Christianismi *fundamento* confundantur.

*Tertiò*, in obscuris atque incertis, adsensus cohibendus: non plus sapiendum quàm par est, sed *sapiendum sobriè*, juxta mensuram luminis à Deo concessi.

*Quartò*, optandum, ut primarium illud, verèque Fundamentale, Reformationis nostræ Principium, de *Scriptura Sacra unica Fidei norma*, animo excidere nunquam patiamur; adeoque nullis hominum Cœtibus, nullis humanis Scriptis, quantacunque auctoritate vel doctrina præpolleant, fidem nostram mancipemus; sed omnia, quanta quanta sunt, ad Verbi Divini normam expendamus.

*Quintò*, optandum, ut nos in primis errori obnoxios esse, indefinenter recordemur: Quo fiet, ut prioribus placitis non  
nimium



nimum adhæreamus, sed novam lucem admittere, rectèque monentibus cedere, nunquam non parati simus.

*Sextò*, Quæstiones illæ omnes, quæ inter Protestantes intercedunt, ad Populum nunquam deferendæ; utpote quæ captum ejus superant, neque ad pietatis aut sanctitatis promotionem quidquam faciunt.

*Septimò*, si in Scholis agitentur, summa semper cum moderatione & mansuetudine tractandæ; simulque ostendendum, illas ad Fidei fundamenta non pertinere.

*Octavò*, in iis Quæstionibus, aliisque non minùs perplexis, ipsamet Scripturæ verba, quantum possumus, usurpanda sunt; idæ verò & voces Scholasticæ pro virili missæ faciendæ. Sic tutiori gressu incedemus, contradicentibus os occludemus, & ad ineundam concordiam faciliorem viam parabimus.

*Nonò*, exerceatur ubique, atque apud omnes, par Moderatio; caveaturque, ne exprobari nobis queat, nos foris quidem pacificos, sed domi rigidos & morosos esse.

*Decimò*, quod palmarium, Pietati & Sanctitati, cum in nobis producendæ & confirmandæ, tum aliis instillandæ, indefinenter operam demus: Quod si fiat, ad vanas & infrugiferas Quæstiones, ad ædificationem non pertinentes, nobis non vacabit.

*Undecimò*, primarium illud Christi Domini nostri Præceptum, quò *Caritatem* Discipulis suis tantoperè commendavit, ob oculos semper habendum, & erga Fratres Dissidentes exercendum est: Cogitandum quippe, exiguas illas opinionum diversitates, quæ inter nos intercedunt, idoneam abrumpendæ Caritatis causam non esse.

*Duodecimò*, testanda Caritas illa, non privatis modò dictis & factis, sed & *Sacram Mensam*, si occasio detur, neque Fratres repugnaverint, unà cum iis adeundo. Quidni enim solemnem hanc Dominicæ mortis commemorationem, &  
Chri-



Christianæ Caritatis tesseram, communem cum iis habeamus, qui in primariis omnibus Christianæ Fidei Capitibus nobiscum consentiunt, etsi in minutis quibusdam Articulis tantisper discrepemus?

*Denique*, ut hoc modo nos ipsos gerere, ita & eandem mansuetudinem, & factis, & sermonibus, cæteris instillare, pro ea in qua versamur statione, & ea qua pollemus auctoritate, necesse est. Faciant hîc quod suum est *Principes*, faciant *Nobiles*, faciant *Theologi*. Sic sensim fiet, ut hæc femina Moderationis & Tolerantiæ, Divinæ benedictionis rore irrigata, feliciter germinent, & suavissimos fructus proferant, ad *Dei* gloriam, Ecclesiæ ædificationem & concordiam, & nostram ipsorum Salutem: Juxta illud Apostoli, *Fructus justitiæ cum pace seritur pacificis*. Jacob. III. 18. *Amen! Amen!*




H

Collec-



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Faint text or stamp at the bottom left of the page.

Faint text or stamp at the bottom center of the page.



Collectio  
**TESTIMONIORUM**

SCRIPTURÆ SACRÆ, Veterum Patrum, præ-  
cipuorum Reformatorum, aliorumque Theologo-  
rum, & Virorum Doctorum, cum ex Lutheranis,  
tum ex Reformatis;

DE

ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS

ET

*TOLERANTIA.*



TESTAMENTUM

...  
...  
...  
...  
...

ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS

...  
...  
...



# TESTIMONIA,

*Quibus ea quæ dicta sunt de Articulis Fundamentalibus,  
& Tolerantia erga Fratres Dissidentes exercenda,  
confirmantur atque illustrantur.*

M O S E S.

Deut. XXIX. 29.

*Quæ occulta sunt, penes Jehovam Deum nostrum sunt; at quæ revelata,  
nobis revelata sunt, ut faciamus omnia verba hujus Legis.*

C H R I S T U S.

Matth. VII. 1.

*Ne judicate, ut ne judicemini.*

Luc. XII. 48.

*Cuicumque multum datum est, multum repetetur ab eo; & apud quem de-  
posuerint multa, plura ab eo reposcent.*

Joh. XVII. 3.

*Hæc est vita aterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti  
Jesum Christum.*

Matth. XXVIII. 19. 20.

*Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Fi-  
lii, & Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis.*

P E T R U S.

Act. II. 37. 38.

*His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt Petro & reliquis Apostolis,  
Quid faciemus, viri fratres? Petrus autem dixit eis Resipiscite, & baptize-*

A 3

tur



*tur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

P H I L I P P U S.

Aët. VIII. 36. 37.

*Quum verò pergerent in viâ, venerunt ad quandam aquam. Tum ait Eunuchus, En aquam: quid prohibet me baptizari? Dixit verò Philippus, si credis ex toto corde, licet. Respondens autem ille dixit, Credo Filium Dei esse Jesum Christum.*

P A U L U S.

Rom. I I. 12.

*Quicumque sine Lege peccaverint, sine Lege quoque peribunt; & quicumque sub Lege peccaverint, per Legem judicabuntur.*

Ibid. X. 6.—9.

*At quæ ex fide est justitia, ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere: Aut, Quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. sed quid dicit? Prope te verbum est, in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod prædicamus. Nempe, quòd si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & crederis in corde tuo quòd Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.*

Ibid. x̄. 14.

*Quomodo credent ei de quo non audierint?*

Ibid. XI V. I.

*Eum, qui fide est infirmus, assumite, non ad certamina disputationum.*

Ibid. x̄. 4.

*Tu quis es qui condemnas alienum famulum? Proprio Domino stat, aut cadit. Stabiletur autem; potest enim Deus eum stabilire.*

Ibid.



Ibid. v. 13.

*Ne ampliùs alius de alio judicemus ; sed hoc potiùs judicate , ut ne offendiculum ponatis Fratri , aut scandalum.*

Ibid. v. 17.—19.

*Non enim est regnum Dei esca & potus , sed justitia , & pax , & gaudium , per Spiritum Sanctum. Nam qui per hæc servit Christo , gratus est Deo , & probatus hominibus. Ea igitur , quæ ad Pacem faciunt , sectemur , & quæ ad mutuam ædificationem.*

I. Corinth. I. 12. 13.

*Hoc dico , unumquemque vestrum dicere ; Ego quidem sum Pauli ; Ego verò Apollo ; Ego verò Cepha ; Ego vero Christi. Num dispersit est Christus ? Num Paulus crucifixus est pro vobis , aut in nomen Pauli baptizati fuistis ?*

Ibid. III. 11. 12. 13.

*Fundamentum aliud nemo ponere potest , præter id quod positum est , quod est Jesus Christus. Quod si quis superædificet super fundamentum hoc , aurum , argentum , lapides pretiosos , ligna , fœnum , stipulam ; Cujusque opus manifestum fiet : dies enim declarabit ; nam per ignem retegetur : & cujusque opus quale sit , ignis probabit.*

Ibid. VIII. 1. 2. 3.

*Scientia inflat , Charitas verò ædificat. Quòd si quis sibi videtur aliquid scire , nondum quicquam novit , sicut oportet nosse. Sed si quis diligit Deum , hic cognitus fuit ab eo.*

Ibid. v. 8. 9.

*Esca nos non commendat Deo ; neque enim si vescamur , abundantiores sumus ; neque , si non vescamur , pauperiores reddimur. Sed videte , ne quo modo potestas illa vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt.*

Ibid.



Ibid. v. 12.

*Peccantes in Fratres, & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.*

Ibid. XIII. 1. 2.

*Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam Prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam, & si habeam totam fidem, adeò ut montes transferam, Charitatem autem non habeam, nihil sum.*

Ibid. v. 4. 5. 7.

*Charitas patiens est. — Non agit indecorè; non querit que sua sunt; non irritatur; non cogitat malum. — Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Ibid. v. 9. 10. 12. 13.

*Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Postquam autem advenit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. — Cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm cernemus. — Nunc verò manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas; maxima autem harum Charitas.*

Galat VI. 15. 16.

*In Christo Jesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio. Et quicumque secundum hanc regulam incedent, pax super eos, & misericordia, & super Israëlem Dei.*

Ephes. IV. 1—6.

*Precor itaque vos, ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione, quâ vocati estis; cum omni modestiâ ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantibus alii alios per Charitatem: Studentes servare unitatem Spiritûs per vinculum Pacis. Unum est corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ: Unus Dominus, una Fi-  
des,*



*des, unum Baptisma ; Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnia,  
& per omnia, & in omnibus vobis.*

Ibid. v. 15.

*Veritatem sectantes cum Charitate.*

Philip. III. 15. 16.

*Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus ; quòd si quid aliter sentitis,  
hoc quoque Deus vobis reteget. Attamen in eo ad quod pervenimus, eadem  
incedamus regulâ, & itidem simus affecti.*

2. Tim. I I. 22—25.

*Sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum  
ex puro corde. Stultas autem & ineruditas quæstiones rejice, sciens eas gi-  
gnere pugnas. Servum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse  
erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudien-  
tem eos qui contrario animo sunt affecti ; ecquando det eis Deus ut resipiscen-  
tes agnoscant veritatem.*

Hebr. V. 12—14.

*Vos enim quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursus opus est  
doceri quæ sint elementa initii eloquiorum Dei : factique estis ii quibus lacte  
opus sit, & non solido cibo. Enim verò cui cum lacte res est, is rudis est  
Sermonis justitiæ : infans enim est. Sed adultorum est solidus cibus, eorum  
videlicet qui propter habitum sensus habens exercitatos ad discretionem boni  
ac mali.*

Ibid. VI. I. 2.

*Quapropter omissis qui in Christo rudes inchoat Sermone, ad perfectionem  
feramur : non jacentis rursus fundamentum resipiscentiæ ab operibus mor-  
tuis, & Fidei in Deum, Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis, &  
resurrectionis mortuorum, & iudicii æterni.*

J A C O B U S.

Epist. III. 13—18.

*Quis sapiens & scientiâ præditus est inter vos ? Demonstret ex bona con-  
B versa-*



versatione opera sua , cum mansuetudine sapientiae. Quòd si zelum amarum habetis , & irritationem in corde vestro , ne gloriamini , & ne mendaces estote adversus veritatem. Non est ista sapientia supernè descendens , sed terrena , animalis , diabolica. Ubi enim zelus ejusmodi est , & irritatio , ibi tumultuatio , & omne opus pravum. Quæ autem supernè est sapientia , primùm quidem pura est , deinde pacifica , moderata , tractabilis , plena misericordia & fructuum bonorum , non dijudicans , non simulata. Fructus autem justitiae cum pace seritur pacificis.

Ibid. I V. 12.

Unus est Legislator , qui potest servare & perdere : Tu qui es , qui judicas alium ?

## J O H A N N E S

I. Epist. I I I. 23.

Hæc est ejus doctrina , ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi , & diligamus alii alios , sicut mandavit nobis.

Ibid. I V. 7. 8.

Dilecti , diligamus alii alios : nam charitas ex Deo est : quisquis diligit ex Deo natus est , & novit Deum. Qui non diligit , non novit Deum ; nam Deus est charitas.

Ibid. v̄. 12. 13.

Si diligamus alii alios , Deus in nobis habitat , & charitas ejus expleta est in nobis. Per hoc cognoscimus nos in eo habitare , & ipsum in nobis , quòd de Spiritu suo dedit nobis.

Ibid. v̄. 15. 16.

Quisquis confessus fuerit Jesum esse Filium Dei Deus in eo habitat , & ipse in Deo. — Deus charitas est ; & qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.

P O L Y -



**POLICARPUS** *Smyrnensis*, & **ANICETUS**  
*Romanus Episcopus*, apud *Eusebium*, Hist.  
 Eccles. Lib. V. Cap. 24.

Cùm beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt; de hoc capite (*de die Paschatis*) non magnoperè inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuasit, observaret, cùm Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cùm ita se haberent, communicârunt sibi invicem: Et Anicetus in Ecclesiâ consecrandi munus Polycarpo honoris causâ concessit; tandèmque cum pace à se invicem discesserunt; tam iis qui observabant, quàm illis qui minimè observabant, pacem communionemque totius Ecclesiæ retinentibus.

**IRENÆUS**, *Lugdunensis*, **POLICRATES** *Ephesus*, aliique culpant factum **VICTORIS**, *Episcopi Romani*, qui *Ecclesias Asiaticas*, ob illam controversiam, *communione absciderat*; apud *Euseb.* *ibid.*

His ita gestis, Victor quidem, Romanæ urbis Episcopus, illicò omnes Asiæ vicinarumque provinciarum Ecclesias, tanquam contra rectæ fidei sentientes, à communione abscindere conatur; datisque literis universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat. Verùm hæc non omnibus placebant Episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potiùs sentire vellet, quæ paci & unitati caritatisque erga proximum congruebant. Exstant etiamnum eorum literæ, quibus Victorem acerbè perstringunt. Ex quorum numero Irenæus, in Epistolâ quam scripsit nomine fratrum quibus præerat in Galliâ, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum; Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes, à communione abscindat. Et



post multa alia in eam sententiam dicta, his etiam utitur verbis. Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum; alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostram primùm ætate nata est, sed longè antea apud majores nostros cœpit; qui negligentius, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate & imperitiâ ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen & omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas confessionem fidei commendat. Narrationem deinde subjungit, quam hîc opportunè inseram. Est autem hujusmodi. Sed & Presbyteri illi, qui ante Soterem, Ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernârunt, Anicetum dico, & Pium, & Hygnum, cum Telesphoro & Xysto, neque ipsi unquam observârunt; neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minimè observarent, pacem nihilominus colebant cum iis qui ad se venissent, ex Ecclesiis in quibus id observabatur; Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt.

*Idem IRENÆUS, adv. Hær. Lib. I. Capp. 2. 3. 4. in vulgar. Edit. Cap. 10. in Edit. Massuet, distinguit ea quæ credebantur ab omnibus Fidelibus, & alia, de quibus, pro vario cognitionis gradu, liberius differebant.*

Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: & in unum Jesum Christum Filium Dei, nostræ salutis causâ incarnatum, & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas Dei dispensationes, & adventus prædicavit, & ortum ex Virgine, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & cum carne in cœlos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, & è cœlo in gloriâ Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, & à morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem, ut Christo Jesu Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi, de benignâ Patris invisibilis voluntate omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua ei confiteatur, atque ipse justam  
de



de omnibus sententiam ferat, spiritualia videlicet nequitiae, & Angelos transgressores, quique perfidè defecerant, impiosque item homines, & injustos, & flagitiosos, & blasphemos in ignem mittens, iustis contra, & pietate præditis, quique ipsius præcepta servaverunt; atque in ipsius charitate, partim jam inde ab initio, partim ex poenitentiâ, perstiterunt, vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat: Acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, uti antè diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio, & curâ perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque corpus habens, his æquè fidem accommodat, & miro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat docet, ac tradit. Quanquam enim dispares inter se mundi linguæ sunt, una tamen & eadem est traditionis vis. Ac neque hæc, quæ in Germaniis sitæ sunt Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, &c. — — Nec verò aut is ex Ecclesiæ Antistibus, qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est: (nemo enim supra Magistrum assurgit) aut is rursus, qui parùm dicendo valet, traditioni detrimentum afferet: Nam cum una atque eadem fides sit, nec qui de eâ uberrimam orationem habere potest, exuberat, nec qui pauca habet quæ dicat, eam imminuit. Quòd autem quidam ingenio ac scientia præstare, aut inferiores esse dicantur, non eo fit, quod argumentum ipsum mutant, ac præter eum, qui hujusce universitatis architectus & conservator est, (quasi non in eò nobis satis præsidii sit) alium quemdam Deum, aut alium Christum, aut alium unigenitum excogitent; verùm in eo demum consistit, ut quis ea omnia, quæ in parabolis dicta sunt, accuratiùs detractet, fideique argumento accommodet; in eoque etiam, ut Dei molitionem, ac dispensationem ob humani generis salutem factam exponat; quòdque diuturna animi lenitate, tum Angelorum, qui ab eo recesserunt, defectionem, tum hominum inobedientiam tulerit, explanet; quidque causæ sit, cur alia caduca, & alia æterna, alia cœlestia, & alia terrena, unus & idem Deus procreârit, enarret; quâque de causâ Deus, cum invisibilis esset, Prophetis tamen non in unâ formâ, sed aliter aliis atque aliis conspicandum se præbuerit, intelligat; quî etiam factum sit, ut plura Testamenta hominum generi contigerint, indicet; quisque cuiusque Testamenti character sit, edoceat; quid item causæ fuerit, quam ob rem *Deus omnia in incredulitate concluderit, ut omnium misereatur*, investiget: quam etiam ob causam *Verbum Dei Caro factum*



fit, cruciatusque subierit, gratâ oratione complectatur; cur præterea extremis temporibus, hoc est, in fine potius quàm in initio, adventus Filii Dei exstiterit, commemoret; de fine quoque ipso & rebus futuris, quidquid in Scripturâ situm est, explicet; tum etiam quamobrem Deus Gentiles, quorum salus deplorata erat, cohæredes, & concorporeos, & participes Sanctorum effecerit, non taceat: quoque pacto *mortale* hoc corpus *immortalitate*, & *corruptibile* hoc *incorruptibilitate* induendum sit edisserat: denique quî *populus factus sit*, qui *populus non erat*: & *dilecta*, quæ *dilecta non erat*; & quî *plures filii deserta* quàm *ejus quæ virum habebat*, prædicet. In his enim aliisque id genus exclamavit Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus!* in hoc, inquam, doctorum industria posita est.

## TERTULIANUS.

### *De Virginibus velandis. Cap. I.*

Regula quidem Fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Mariâ, crucifixum sub Pontio Pilato, tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque ad finem gratiâ Dei.

Idem

### *De Præscriptione Hæreticorum, Capp. XIII. & XIV.*

Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse; nec alium præter mundi conditorem; qui universa de nihilo produxerit, per verbum suum primò omnium demissum: Id verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum à Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex spiritu Patris Dei & virtute, in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum Christi



Christum; exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum; virtutes fecisse; fixum cruci; tertiâ die resurrexisse; in cœlos ereptum sedisse ad dexteram Patris; misisse vicariam vim Spiritûs Sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate, ad sumendos Sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resurrectione cum carnis restitutione. Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterùm manente formâ ejus in suo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari: est utique frater aliqui doctor, gratiâ scientiæ donatus; est aliqui inter exercitatos conversatus; aliqui tecum curiosus, tecum tamen quærens: novissimè ignorare melius est, ne quod non debeas nôris, quia quod debeas nosti. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit*; non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est; habes legem, & salutem de observatione Legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti: Certè aut non obstrepant, aut quiescant. Adversus regulam nihil scire, omnia scire est.

## C Y P R I A N U S

*Jubaïno. Epist. LXXIII.*

Hæc tibi breviter pro nostrâ mediocritate rescripsimus, Frater Carissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum Collegis & Coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus; maximè cum & Apostolus dicat; *si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Servatur à nobis patienter & firmiter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotii.

Idem



Idem

in *Proloq. Concil. Carthag.* de Baptizandis Hæreticis.

Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus: ne-  
minem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſen-  
ſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrùm Episcopum ſe Epi-  
ſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem  
collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Episcopus, pro licentia  
libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium: tamque judicari ab  
alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt judicare. Sed expectemus uni-  
verſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet po-  
teſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu  
noſtro judicandi.

## FIRMILIANUS.

ad *Cyprianum*, inter hujus Epistolas.

Eos autem qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſervare quæ ſunt  
ab origine tradita, & fruſtrà Apoſtolorum auctoritatem prætere-  
ſcire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, &  
circa multa alia divinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illos aliquas  
diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis  
obſervantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis,  
multa pro locorum & nominum diverſitate variantur; nec tamen  
propter hoc ab Eccleſiæ Catholice pace atque unitate aliquando dif-  
ceſſum eſt. Quod nunc Stephanns auſus eſt facere, rumpens adver-  
ſum vos pacem, quam ſemper antecelſores ejus vobiſcum amore &  
honore mutuo cuſtodierunt.

*Ibid.*

Lites enim & diſſenſiones quantas parâſti (*Stephanum* Episc. Rom.  
alloquitur) per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum  
tibi exaggerâſti, quando te à tot gregibus ſcidisti? Excidiſti enim te-  
ipſum: noli te fallere. Siquidem ille eſt verè Schiſmaticus, qui ſe à com-  
munionem Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas  
omnes



Omnes à te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis & pacis vel Apostoli præcepta potuerunt, monentis & dicentis: *Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, dignè ambulare vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate sensûs & lenitate, cum patientiâ sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem Spiritûs in conjunctione pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, &c.* Hæc Apostoli mandata & monita, salutaria, quàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensûs & lenitatem primo in loco servans? Quid enim humiliter aut lenius quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse? pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modò vobiscum, qui in meridie estis? &c.

## CONSTANTINUS MAGNUS

*Epist. ad Alex. & Arium, apud Euseb de Vita Constantini, Lib. II. Cap. 68. & Socrat. Lib. I. Cap. 7.*

Presentis controversiæ initium hinc existitisse comperio. Cùm tu, Alexander, à Presbyteris tuis requireres, quid quisque eorum de quodam legis loco sentiret, seu potius de quadam parte inanis quæstionis eos interrogares? cùmque tu, Ari, id quod vel nequamquam cogitare, vel sanè cogitatum silentio premere debueras, imprudenter protulisses, excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est; sanctissimus autem populus in duas partes discissus, à totius corporis unitate discessit. Quocirca uterque vestrùm veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur, quod conservus vester vobis justissimè suadet. Quidnam verò illud est? Nec interrogare de hujusmodi rebus principio decebat, nec interrogatum respondere. Tales enim quæstiones, quas nullius Legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit, licèt ingenii exercendi causâ instituantur, tamen intra mentis nostræ penetralia continere debemus, nec eas facile in publicos efferre conventus, nec auribus vulgi inconsultè committere. Quotus quisque enim est, qui tantarum rerum tamque difficultium vim atque naturam, aut accuratè comprehendere, aut prodignitate explicare sufficiat? Quòt si quis id facile consequi posse existimetur, quotæ tandem parti vulgi id persuasurus est? Aut quis in ejusmodi quæstionum subtili & accurata disputatione, citra periculum gravissimi lapsûs possit consistere, Quocirca in hujusmodi quæstionibus

C

bus



bus loquacitas comprimenda est; ne fortè, aut nobis id quod propositum est explicare ob naturæ nostræ infirmitatem non sufficientibus, aut auditoribus, ob ingenii tarditatem, ea quæ dicuntur minimè assequentibus, ex alterutro horum, aut in blasphemiam, aut in schismatis necessitatem populus incurrat.

*Ipsè* EUSEBIUS

*Ibid.* Cap. 73.

Et ad hunc quidem modum Imperator Deo charus, missâ epistolâ pacem Ecclesiæ Dei instaurare studuit. Quinetiam Vir bonus, & Dei cultor eximius, (*Osius Cordubensis*) ut suprâ dixi, non solum in Literis perferendis, sed etiam in implenda ejus à quo missus fuerat voluntate, egregiam operam navavit. Verùm majus erat negotium, quàm ut Literarum ministerio sedari posset. Adeò ut contendentium rixa magis in dies aucta sit, & cunctas Orientis provincias vis mali pervaserit. Hæc livor invidiæ, & malignus dæmon Ecclesiæ felicitatem semper agrè ferens, in nostram perniciem machinatus est.

ATHANASIUS,

teste *Greg. Nazianz.*, Orat. XXI. de laudibus  
*Athanasii.*

Quod verò mihi in ipso maximè mirari subit, quodque non citra damnum silentio præteriri potest, hæc præsertim tempestate, quâ multæ contentiones dissidiaque gignuntur, hoc adhuc superioribus adjiciam. Nam his quoque, qui nunc vivunt, hæc actio doctrina esse queat, si ipsum nobis imitandum proponamus. Quemadmodum enim ab unâ & eâdem aquâ non tantùm ea pars disjungitur, quam manus inter hauriendum reliquit, verùm id etiam quod manu comprehensum per digitos effluit; eodem modo à nobis non impiæ solum doctrinæ cultores, verùm etiam qui pietatis laude in primis excellunt, præciduntur, idque non in parvis duntaxat & contemnendis dogmatis, (minùs enim hoc grave esset) verùm etiam in verbis, quæ ad eundem omninò sensum tendebant. Nam cùm *essentia* una, & tres *hypostases* à nobis piè dicerentur, — — atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur, cæterùm ob linguæ illius angustiam & verborum inopiam, *hypostasim* ab *essentiâ* distinguere non possent, eo-  
que



que factum esset, ut pro ea, netres *substantias* admittere viderentur, *personarum* vocabulum inducerent, quid tandem contigit? Res profectò ridicula, vel potiùs miseranda. Diversæ fidei speciem præbuit levis illa & jejunia de vocum sono altercatio. Hic deinde & Sabellismus ob tres *Personas* excogitatus est, & Arianismus ob tres *Hypostates*, quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat. Quid postea? Cùm exigua res aliqua quotidie accederet, quæ molestiam afferret, (molesta autem ut videretur, contentio faciebat) eò tandem res adducta est, ut periculum esset, ne orbis rerrarum fines unà cum syllabis abrumperentur. Quæ cùm beatus ille Vir, & verè homo Dei, magnúsque animarum dispensator, oculis auribúsque usurparet, tam absurdam & à ratione alienam Verbi sectionem dissimulandam ac negligendam sibi non putavit? verùm medicinam morbo quamprimum adhibet. Quonam autem modo id facit? Utrâque parte leniter & benignè accitâ, verborumque sententiâ diligenter & accuratè perpensâ, posteaquam concordés reperit, nec, quantum ad doctrinam, ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus eos constringeret. Hoc diuturnis illis laboribus & sermonibus, quos jam omnes literis mandant, longè utilius est; Hoc multis vigiliis & chameuniis præstantius; Hoc pervulgatis, atque omni famâ celebratis ipsius exiliis & fugis nihilo inferius existimandum est.

*Ipsè.* GREGORIUS NAZIANZENSIS,

Orat. XXVI. de *moderatione in disputationibus servanda.*

Quidnam in doctrina nostra præstantissimum est? Pax. Ad dam etiam, utilissimum. Contrà, quid turpissimum, ac perniciosissimum? Voluntatum disjunctio. Quoniam autem hanc quæstionem proposui, eique respondi, quod secundum est, insuper sciscitabor; Quidnam præcipuè illam sustulit, & hanc invexit? ——— Ingenia magna & ferventia tumultus istos, in quibus versamur, excitârunt, non illa quidem simpliciter magna & ferventia (nec enim ii sumus, qui animorum acrimoniam in vitio ponamus,) sed quæ cum generositate imprudentiam, & inscitiam & temeritatem conjunctam habeant. ——— Unum Deum Patrem agnoscere oportebat, principii exper-



tem & ingenitum, & unum Filium ex Patre genitum, & unum Spiritum ex Deo substantiam habentem, hoc solo nomine Patri cedentem, quòd non ingenitus sit, hoc item Filio, quòd non genitus sit, cætera autem ejusdem omninò naturæ, dignitatis, honoris, gloriæ; hæc, inquam, agnoscere oportebat, hæc confiteri, hîc gradum figere, prolixas autem nugas ac profanas verborum novitates ad otiosos homines amandare. Quid hæc omnia excitavit? Animorum fervor, qui sine ratione ac scientiâ cohiberi nequit, fideique navigium gubernatore carens. Quod cum perspectum habeamus, Fratres, demus operam, ut nec ad bonum pigri simus: sed ipiritu ferveamus; nec rursus cum temeritate, & cæco nostri amore, acres ac fervidi, ne alioquin in transversum abripiamur. Quia potius, cum ex utroque, id quod utile ac fructuosum est, collegerimus, hoc est, ex illo mansuetudinem, ex hoc autem zelum, quod in utroque noxium ac perniciosum est, fugiamus, illius nempe pigritiam, hujus verò temeritatem. — Ego certè humilitatis ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, qui parcè ac moderatè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere ac retinere, quorumdam etiam inscitiam fateri novit. — Quid igitur? (interpellabit quispiam) an de Deo tacebimus? Cui leniter & sine acerbitate, ut hinc quoque animi moderationem doceamus, occurrendum est. Non te tacere jubeo, vir sapientissime, sed à pertinaci contentione abstinere: non veritatem occultare, sed præter legem non docere. Nam & ipse vel primus inter eos nomen profiteor, qui sapientiam & doctrinam laudibus efferunt, atque in divinis sermonibus sacrisque studiis tempus atque operam ponunt, aut certè ponere cupiunt. Interim tamen excessum vito, & inexplebilem cupiditatem coërceo; malimque, si mihi utrumque fugere ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse, quàm nimis curiosus: ac nimis timidus, quàm nimis audax & temerarius. — Satis superque tibi est fundamentum habere; superstruat Architectus. Sufficit tibi cor pane fulcire; opsonia copiosis & locupletibus relinque. — Præstat, cum doctus sis, ob mansuetudinem & animi æquitatem consultò cedere, quàm, cum eruditione careas, per insolentiam ac temeritatem altiùs efferri. Celeritas tua usque ad Fidei confessionem progrediatur, quando ea abs te exacta fuerit; ultra eam autem timidiorem te esse velim. Nam ut illic tarditas, ita hîc festinatio periculosa est. — Deo gratiæ habeantur, quòd, ut eximia largitur, ita per communia salutem hominum consulere nôrit. Atque hoc miraculum, non in doctrinâ tantùm ac disputa-

tio-



tionibus, sed in ipsa quoque mundi effectione locum habere compe-  
ries, si animum adverteris. Neque enim in rebus creatis excellentis-  
sima quæque, nonnullorum duntaxat, sed omnium mortalium sunt.  
Quid pulchrius aëre, igne, aquâ, terrâ, pluviis, fructibus, sativis  
juxta & agrestibus, tecto, indumentis? Atque hæc sunt ejusmodi,  
ut omnes iis communiter utantur. Deus Solem suum æquè omnibus  
oriri facit, divitibus ac pauperibus pluit: communis diei noctisque  
alternatio & vicissitudo, &c. Atquæ hæc quidem communia, omni-  
busque exposita sunt, Deique justitiam perspicuo argumento testan-  
tur. Hoc autem etiam circa fidem animadverto. Communia sunt,  
Lex, Prophetæ, Testamenta, Testamentorum oracula, Gratia, no-  
va creatio, fides, spes, charitas, &c. Denique, quod maximum est,  
Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti agnitio, ac primaria nostræ spei  
confessio. Quid his majus ac sublimius? Quid rursus communius?  
Nam quæ hanc rationem habent, ut iis remotis atque sublatis ne  
Christianus quidem ullus esse possit, hæc profectò iis utiliora sunt,  
quæ tantummodò à paucis percipi atque comprehendì possunt. Enim  
verò alius contemplationis opibus affluit, ac supra vulgus affurgit,  
& spiritualia cum spiritualibus comparat, atque in cordis latitudine  
tripliciter describit (nimirum & eam doctrinam, quæ omnes in-  
struat, & eam quæ multos, & eam quæ non omnes, nec multos,  
sed paucos duntaxat) nec pauper esse sustinet, verùm in altissima &  
abstrusissima quæque penetrat. Ascendat verò ille, ac deducatur, at-  
que à mente feratur, vel ad tertium usque cœlum, si ita libeat, quem-  
admodum Paulo contigit: Cæterùm cum ratione & scientia, ne pro-  
pter animi elationem cadat, pennisque propter volâtus sublimitatem  
liquefactis miserè corruat. Alius contrà exiguo ingenio est, & linguâ  
pauper, nec verborum flexus & captiones novit, nec sapientum dic-  
ta & ænigmata; At hic quoque habet unde salutem consequatur.  
Quibus tandem verbis? (O mirificas divinæ gratiæ opes!) *Nihil, in-  
quit, tibi necesse est in cœlum ascendere, ut Christum illinc trabas; nec in  
abyssum descendere, ut hinc eum à mortuis extrahas*, nimirum vel primam  
ipsius naturam curiosius investigans, vel postremam carnis assumptæ  
dispensationem; *Prope te, inquit, verbum est: mens & lingua thesaurum  
hunc habent, illa videlicet credendo, hæc confitendo.* Quid his  
divitiis compendiosius? Quid hoc beneficio facilius & exprom-  
ptius? Confitere Jesum Christum, eumque à morte ad vitam rediisse  
crede; & salutem consequeris. — Nihil fide nostrâ, Fratres, ini-  
quius fingi posset, si in eruditos tantùm dicendique facultate ac lo-  
gicis



gicis demonstrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, ut auro & argento, aliisque omnibus rebus, quæ hîc in pretio habentur, atque à plerisque avidissimè expetuntur, sic hâc quoque frustraretur, ac Deus id, quod altum & excelsum est, atque ad paucos pertingit, gratum acceptumque haberet; contrà, quod propinquius est, nec vulgi captum superat, aspernaretur & rejiceret. Nam ne in moderatiores quidem homines hoc cadit, ut non, quales ipsis haberi honores possunt, exigant, sed excellentibus tantùm eximiisque delectentur, nedum in Deum: qui, cùm multis nominibus admirabilis nobis & suspiciendus occurrat, nihil tamen tam proprium habet, quàm omnes beneficiis afficere. — Proinde nobis curæ esse debet, ut quemadmodum pueros in primis moribus & primâ institutione fingimus, ut in sequentis ætatis improbitatem fugiant, ita nos quoque ne in levibus quidem parvique momenti disputationibus, audaciæ atque ineptiæ significationem præbeamus, ne ea tandem diuturnâ consuetudine in majoribus abutamur. — Sin autem tam immodico & inexplebili disputandi studio flagras; nec morbum sistere ac reprime-re potes, hæc meditare, in his esto: ambitionem istam in iis rebus, in quibus periculi nihil subest, effunde. Quòd si hoc repudias, nec linguam fræno coërcere, animique impetum frangere ac comprimere potes, sed tibi furere atque insanire certum est, at illud saltem tibi impera, ut fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, nec temerè ac præcipiti iudicio eum condemnes, aut salutem ejus pro desperata habens discedas, qui animi facilitatem ac morum suavitatem profiteris. Quin potiùs hîc humilem te præbe, dum licet; hîc nullo cum tuò detrimento fratrem tibi antepone, ubi condemnare & contemnere, nihil aliud est, quàm à Christo, ac sola spe, ejicere, atque exturbare, occultumque triticum, & quidem triticum fortasse te præstantius, unà cum zizaniis excindere. Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter & humanè, non ut hostis; partim te ipsum ac tuam infirmitatem agnoscas. — Multùm diuque antè versandus atque contorquendus est animus, multa ferenda, quàm ut alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem, aut brevem quendam & caducum florem evellere, atque hominem excindere. Imago Dei es? & imaginem quoque Dei alloqueris. Iudicium quoque subibis, qui iudicas, & quidem alienum servum iudicas, & quem alius moderatur. Sic fratrem tuum explora, quasi ipse ad eandem mensuram expendendus. Quocirca ne citò ac temerè membrum feces ac projicias, cùm incertum sit, an hac ratione

tione



tionem partes quoque sanæ perniciem aliquam contracturæ sint. Verùm argue, increpa, obsecra. *Illecebræ medicinæ regulam Christi* habes, es, mitis ac benigni, & qui nostras infirmitates portavit.

## H I L A R I U S

*De Trinitate, Lib. II. init.*

Sufficiebat quidem credentibus Dei fermo, qui in aures nostras Evangelistæ testimonio cum ipsa veritatis suæ virtute transfusus est, cùm dicit Dominus: *Euntes nunc docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quid enim in eodem sacramento salutis humanæ non continetur? aut quid est quod reliquum sit aut obscurum? Plena sunt omnia, & perfectæ, ut à pleno & perfecto: Nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt. Baptizare iussit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, id est, in confessione & auctoris, & unigeniti, & doni.

*Ibid. Lib. X.*

Pietas est non ambigere, & justitia est credere, & salus est confiteri; non in incerta diffluere, neque ad stultiloquia effervere, neque ratione aliquâ virtutes Dei ventilare, neque modò circumscribere potestatem, neque causas investigabilium Sacramentorum retractare; Dominum Jesum confiteri, & à Deo suscitatum à mortuis credere, salus est. Quæ verò insania est, qualis & cujusmodi sit Jesum calumniari; cùm salus sola sit, hoc solum scire quòd Dominus sit? Tum porrò qui humanæ inanitatis error est, de resurrectione ejus lites movere, cùm sufficiat ad vitam, quòd à Deo suscitatus sit credidisse? In simplicitate itaque fides est, in fide justitia est, in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas; Jesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.

Idem



Idem, *ad Constantium Augustum.*

... quæ etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates? & tot nobis doctrinas esse, quot mores? & tot causas blasphemiarum, pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita ut volumus, intelliguntur. Et cum secundum unum Deum, & unum Dominum, & unum baptisma, etiam fides una sit, excidimus ab eâ fide quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse ne ulla sit. Conscii enim nobis invicem sumus, post Niceni conventûs synodum, nihil aliud quàm fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctõribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cæpit, propè jam nemo Christi est.

AUGUSTINUS

*de Baptismo contra Donatistas, Lib. II. Capp. 4. & 5.*

Hoc facit sanitas pacis, ut cum diutiùs aliqua obscuriora quæuntur, & propter inveniendi difficultatem, diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideò plerunque doctioribus minùs aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis caritas, in qua fructus major est, comprobetur. vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt? vel quomodo accipiant, veritatem cum contra id quod sentiebant, declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus unum in beato *Cypriano*, id est, quomodo tenuerit unitatem cum eis à quibus diversum sentiebat. Ait enim, *Neminem judibantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes,* — — Homines enim sumus. Unde aliquid aliter sapere quàm res se habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est: In nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, angelica perfectio est. Quia itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quamdiu per-



perfectionem angeli non habemus, præsumtionem diaboli non habeamus. — Humanum est ergo aliquid aliter sapere. Propterea dicit (Apostolus) alio loco; *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Quibus autem revelat cum voluerit, sive in hac vitâ, sive post hanc vitam, nisi ambulantes in viâ pacis, & in nullam præcisionem deviantibus?

Idem, in *Psalms. XXXII. Ennar. III. §. 29.*

Doleamus illos, Fratres, tanquam fratres nostros. Velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc desinent esse fratres nostri, si desierint dicere, Pater noster. — Dicant illi, Quid nos quæritis, quid nos vultis? Respondeamus, Fratres nostri estis. Dicant, Ite à nobis, non vobiscum habemus rationem. Nos prorsus vobiscum rationem habemus: unum Christum confitemur, in uno corpore, sub uno capite esse debemus. — Adjuramus ergo vos, Fratres, per ipsa viscera Caritatis, cujus lacte nutrimur, cujus pane solidamur, per Christum Dominum nostrum, per mansuetudinem ejus, adjuramus vos, (tempus est enim ut impendamus in eos magnam caritatem, abundantem misericordiam, in deprecando Deum pro illis) — pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, — tamen pro fratribus nostris, eadem sacramenta celebrantibus, etsi non nobiscum, eadem tamen; unum Amen respondentibus, etsi non nobiscum, unum tamen; medullas caritatis vestræ fundatis Deo pro eis.

Idem, in *Psalms. XXXIII. Enarr. II. §. 7.*

Ergo rapite quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate; rapite ad amorem; ut si magnificent Dominum, in unum magnificent. Et pars *Donati* videtur sibi magnificare Dominum; quid eos offendit orbis terrarum? Dicamus illis, Fratres, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in unum.* Quare in præcisione vultis magnificare Dominum? Ille unus est; quare duos populos vultis facere Deo? Quare vultis dissipare corpus Christi?

D

LEO



LEO III. Episc. Rom.

In *Collat. cum Legatis* Caroli Magni, Anno 809.

*Missi.* Quia verò, ut dicitis, ita certissimum credendum est, credendo immutabiliter tenendum, tenendo verò, sicuti necesse fuerit, constantissimè defendendum est, nunquid non id nescientes docendum, scientibus autem, ut id attentius teneamus, confirmandum est? *Papa.* Ita est. *Missi.* Si ita est, si quis hoc nescirit, vel ita non crediderit, num salvus esse poterit? *Papa.* Quisquis ad hoc sensu subtiliore pertingere potest. & id scire, aut ita sciens credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa, è quibus istud unum est, (*de processione Spiritûs Sancti loquitur*) sacrae fidei altiora mysteria, subtilioraque sacramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent; multi verò, aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate prædediti non valent. Et ideò, ut prædiximus, qui potuerit & noluerit, salvus esse non poterit.

ECCLESIA LUGDUNENSIS,

In *Censurâ Synodi Carisiacæ*, an. 854.

Sit inter nos de hâc re (*Prædestinatione*) istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenus & Sanctis Patribus debitus servetur honor, & quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hâc sententiâ ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum: sed potiùs vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, ut nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur: memores semper illius Apostolicæ sententiæ; *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Legamus ergo pacificè, & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Ecclesiasticorum Virorum, nec pro aliis doctõribus adversus alios litigemus: (quia & ipsi inter se pacifici unusquisque in suo sensu abundaverunt, alius quidem sic, alius verò sic) expectantes fideliter atque humiliter quod Apostolus promittit, dicens; *Et si quid aliter sapitis, hoc vobis Deus revelabit.* Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur quod sentit,

tit,



tit, sed statim paratus est ad contentiones, diffensiones & scandala; etiamsi non habeat hæreticum sensum, certissimè habet hæreticum animum. Quam pietatis moderationem si etiam isti boni viri, qui hanc definitionem statuerunt, servare voluissent, meliùs hanc rem silentio præteriissent, & unicuique de eâ secundùm fidem suam, & auctoritatem cù magis acquiescendum putaret, sentiendum permetterent: finitòque inter eos tam longæ & perniciosæ contentionis jurgio, pax & unitas Christi Ecclesiæ reformaretur.

## ERASMUS

### *Prefat. in Hilarium.*

Veteres parcissimè de rebus divinis philosophabantur: neque quicquam audebant de his pronuciare, quod non esset apertè proditura his literis, quarum auctoritas nobis est sacrosancta. — Nobis quâ fronte veniam poscemus, qui de rebus longè semotissimis à nostrâ naturâ, tot curiosas, ne dicam, impias, movemus quæstiones: tam multa definimus, quæ citra salutis dispendium, vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui? Annon habiturus est consortium cum Patre & Filio & Spiritu Sancto, qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem à Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum; quid intersit inter filii nativitatem à Patre, & Spiritûs processionem? — At ea quæ nos scrutamur, quæ definimus, interdum nec sacris literis prodita sunt, ut si comprehendi non possint, certè credi debeant; nec ullis rationibus idoneis probari, nec cogitatione concipi, nec similibus adhibitis adumbrari, ut sunt, possunt. In quibus vestigandis, quum à felicissimis ingeniis summa vi diu desudatum fuerit, hic demum est extremus profectus, ut intelligant se nihil scire; & adeò ad vitæ pietatem nihil faciunt, ut nusquam magis habeat locum illud Pauli: *Scientia inflat, charitas edificat.* Quod supercilium, quas contentiones, quos tumultus, quæ mundi dissidia videmus ex hujus generis inscitâ scientiâ scaterere; Quumque tam fugax sit vita nostra, interim ea negligimus, sine quibus nulla spes est cuiquam assequendæ salutis. Nisi condonâro fratri, quod in me peccavit, mihi non condonabit Deus, quod in ipsum admisi. Nisi mundum cor habuero, non videbo Deum. Hoc igitur totis studiis agendum erat, hoc meditandum, hoc urgendum: ut livore, ut invidiâ, ut odio, ut superbia, ut avaritiâ, ut libidine purgem animum. Non damnaberis, si nescias, utrùm Spiritûs à Patre &



Filio proficiscentis, unicum sit principium, an duo: sed non effugies exitium, nisi curâris interim habere fructus Spiritûs, qui sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Ad hæc igitur vertenda est, huc intendenda præcipua studii nostri cura. Non quòd in totum damnandam existimem, vel philosophiæ in tres partes dissectæ, vel rerum ultramundanarum vestigationem, modò adsit ingenium felix, & absit definiendi temeritas, absit pervicacia, & concordix pestis, vincendi pertinax libido, S U M M A nostræ Religionis, pax est & unanimitas. Ea vix constare poterit, nisi de quàm potest paucissimis definiamus, & in multis liberum relinquamus suum cuique iudicium; propterea quòd ingens sit rerum plurimarum obscuritas, & hoc morbi ferè innatum sit hominum ingeniis, ut cedere nesciant, simul atque res in contentionem vocata est; quæ postquàm incaluit, hoc cuique videtur verissimum, quod temerè tuendum susceperit.

*Ibid.*

Olim fides erat in vitâ magis quàm in articulorum professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli præscriberentur, sed pauci, & apostolica sobrietatis. Deinde Hæreticorum improbitas adegit ad exactiorem divinorum voluminum excussionem; pervicacia compulit, ut quædam ex autoritate Synodorum definirentur. Tandem Fidei, symbolum in scriptis potiùs quàm in animis esse cœpit: ac penè tot erant Fides, quot Homines. Creverunt articuli, sed decrevit sinceritas: efferbuit contentio, refrixit charitas. Doctrina Christi, quæ priùs nesciebat λογολμαχίαν, cœpit à Philosophiæ præsidis pendere; hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabantis. Accreverunt opes, & accessit vis. porrò admixta huic negotio Cæsarum autoritas, non multum promovit fidei sinceritatem. Tandem res deducta est ad sophisticas contentiones; articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores & minas. Quumque vita nos destituat, quum fides sit in ore magis quàm in animo, quum solida illa sacrarum literarum cognitio nos deficiat, tamen tortoribus huc adigimus homines, ut credant quod non credunt, ut ament quod non amant, & intelligant quod non intelligunt. N O N potest esse sincerum, quod coactum est; nec Christo gratum est, nisi quod voluntarium.

*Idem*



Idem, in *Matt. Cap. XI.*

Verè blandum est jugum Christi, & levis sarcina, si præter id quod ille nobis imposuit, nihil imponeretur ab humanis constitutionibus. Præter mutuam charitatem nihil ille præcipit: neque quicquam tam amarum est, quod non condiat, condulcetque charitas. Facile toleratur, quicquid est secundum naturam. Nihil autem magis congruit cum Hominis natura, quàm Christi Philosophia, quæ penè nihil aliud agit, quàm ut naturam collapsam suæ restituat innocentia, sinceritatisque. Sed quemadmodum apud Judæos Legem per se molestam aggravabant Hominum constitutiones, ita cavendum est etiam atque etiam, ne Christi Legem per se blandam ac levem, gravem & asperam reddant humanarum constitutionum ac dogmatum accessiones. Quæ sic primùm obrepunt, ut vel tanquam pusilla negligantur, vel pietatis specie commendata libenter amplectantur etiam homines probi magis quàm providi. Semel recepta paulatim gliscunt augescuntque, donec in immensum aucta, jam nolentes premant & obruant: seu consuetudinis, cujus violenta tyrannis est, præsidio, seu principum auctoritate, quod temerè receptum est, in suum emolumentum, abutentium, mordicusque retinentium. QUAM PURA, quàm simplex Fides à Christo nobis tradita? quàm huic simile Symbolum, sive ab Apostolis ipsis, sive à Viris Apostolicis proditum? Huic deinde multum adjunxit Ecclesia, diffidiis Hæreticorum dissecta, vexataque: quorum & si quædam sunt, quæ citra Fidei dispendium poterant omitti, tamen pleraque videbantur etiamnum ad rem pertinere. Tot jam erant Symbola, quot Homines; nihilo melius bonæ fidei signum, quàm cum in contractibus res multis ac verbosis syngraphis agitur, quæ cum ad excludendas captiones adhibeantur, quò circumspectiùs scriptæ sunt, hoc plus captionum solent ferè gignere. Postremò res eò paulatim deducta est, ut Scholasticorum aliquot placita, quos Articulos vocant, aut homunculorum quorundam nova quædam ad fastum comminiscuntium, vel opiniones, vel somnia, propemodum æquentur Articulis Fidei Apostolicæ. Atque in his, nec Scholæ diversæ, nec ejusdem Scholæ Mystæ inter se consentiunt: neque apud ipsos perpetua sunt, sed pro tempore mutantur. Et tamen ita primùm irreperunt, ut in Scholis tantùm haberentur probabiles opiniones. Mox Scholæ parietes egressæ in Libros, & in publicas adeò conciones eruperunt. Ac sæpenumero fit, ut, quod semel utcumque prodidit definiendi temeritas, confirmet & augeat tuendi pertinacia.



cia. Sunt autem pleraque hujus generis, ut impium sit homini de his definire. Qualia ferè sunt, quæ de ratione essentiæ divinæ, deque distinctione personarum, philosophamur. Ea si tantum in hoc adhibeantur, ut animos nostros abducant ab his sordidis cogitationibus ad sublimiora, non est improbandum studium. Sin, ut hæc quæ longè superant humani ingenii captum, cum supercilio pronunciemus, & earum rerum scientia, quas nec angeli satis intelligunt nos jactemus apud Populum, mihi nec pium videtur, nec utile. His proxima sunt, que de ratione Mysteriorum, velut è cælo petita pronunciamus: cum magis ad Pietatem faciat ex his excerpere, quæ ad vitæ sanctimoniam conducant. Verum hæc pronuntiandi temeritas à veteribus orta nunc longiùs progressa est, quam ut ferri possit. Sunt qui nectant nobis frigidum syllogismum, & ex loco parum intellecto, aut ex hominis constitutiuncula pariant Articulum Fidei. Atque ex his Christiani, aut non Christiani censemur, quæ ne tantulum quidem ad Christianam attinent Pietatem. JAM QUAM POPULARIS, quàm expedita est Doctrina Christi, Apostolica, & Patrum Apostolicorum; quàm nunc impedita, spinosa, ne dicam tenebricosa, facta, partim admixtu Legum, ac Disciplinarum humanarum, partim somniis & inventiunculis ambitiosorum hominum, posteaquam sacre Theologiæ professio scenica quædam ac theatrica res esse cœpit. Tota Hominis ætas non sufficit quæstiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis.

## L U T H E R U S

*Epist. ad Argentinenses.*

Proinde hoc consilii omnibus persuasum esse velim, ut vobis ipsis prospiceretis, in hac unicâ quæstione perseverantes; Quidnam illud sit quod Christianum faceret. Nec finite ullam huic quæstioni aliam esse parem. Si quis aliquid in medium adduxerit, quantociùs ex eo quærite; Age, amice, faciunt hæc quoque hominem Christianum? Si responderit, Non; missa facite ista omnia; nec protinus ut principem Christianæ vitæ articulum mordicùs tenentes amplectimini.

*Idem, ad Antverpienses.*

Quamobrem oratos vos volo, Fratres, ut aversemini Spiritum hæc  
sublimi



sublimi quæstione de occultâ Dei voluntate vos molestantem, & impugnantem, dicentes; Putasne parum esse quòd Deus manifestæ voluntatis suæ in præceptis expressæ, nos voluerit esse conscios? Quid itaque tu nos infatuas eò nos inducendo, quod scire nefas adeoque interdictum est, nec possibile cognitu, & in quo tu, vesane, nobiscum ex æquo cæcutis & hallucinaris? Quî hæc fiant, Deo committenda putamus. Sufficit nôsse nobis, Deum peccata detestari. Quî verò peccatis consentiat, missum faciendum est. Servus Heri sui arcana curiosè explorare, multò minùs nosse debet, sed quid præcipiat Herus effectum reddere. Multò minùs fas est miseram creaturam sui Creatoris, divinæ nimirum majestatis pervestigare mysteria. Videtis nunc, optimi Amici, qui Diaboli sint conatus, quæ consilia, quæ rerum novandarum studia, quibus hoc molitur, ut non necessariis & inutilibus cognituque impossibilibus articulis hominum levium animos occupet atque detineat, à verâ viâ alienos. Proinde videte, ut id quod seitu est utile, & vobis necessarium, atque à Deo præceptum, amplectamini, posthabitis nugis inutilibus, non ædificantibus, & nihil perinde atque contentiones producentibus, juxta sapientis Viri consilium; Quod supra ingenii tui captum est, ne perquiras, sed mane in iis quæ à Deo tibi præcepta sunt. Tota vita opus est Christo rectè perdiscendo, & ejus præceptis cognoscendis, etiam nullis aliis rebus intentis.

## MELANCHTHON

in *Hypotyp. Theolog.* seu prima Editione *Locorum Communium*, non longè ab initio.

Sunt autem rerum Theologicarum hæc ferè capita: Deus, Unus, Trinus, Creatio, Homo, Hominis vires, Peccatum, &c. In his ut quidam prorsus incomprehensibiles sunt, ita rursus sunt quidam, quos universo vulgo Christianorum compertissimos esse Christus voluit. Mysteria divinitatis rectiùs adoraverimus, quàm vestigaverimus. Imò, sine magno periculo tentari non possunt: id quod non rarò sancti viri etiam sunt experti. Et carne filium Deus Opt. Max. induit, ut nos à contemplatione majestatis suæ, ad carnis, adeoque fragilitatis nostræ contemplationem invitaret. Sic & Paulus ad Corinthios scribit: Deum per stultitiam prædicationis, nimirum novâ ratione, velle cognosci, cum non potuerit cognosci in sapientiâ per sapientiam. Proinde

inde



inde non est, cur multum operæ ponamus in locis illis supremis, de Deo, de unitate, de trinitate Dei, de mysterio creationis, de modo incarnationis. Quæso te, quid adsecuti sunt jam tot sæculis Scholastici Theologistæ, cum in his locis solis versarentur? Nonne in disputationibus suis, ut ille ait, vani facti sunt, dum totâ vitâ nugantur de universalibus, formalitatibus, connotatis, & nescio quibus aliis inanis vocabulis? Et dissimulari eorum stultitia posset, nisi Evangelium interim & beneficia Christi obscurassent nobis illæ stultæ disputationes. Jam, si libeat ingenioso mihi esse in re non necessaria, facile queam evertere, quæcunque pro fidei dogmatis argumenta producerunt, & in his quàm multa rectiùs pro hæresibus quibusdam facere videntur, quam pro Catholicis dogmatis? Reliquos verò locos, peccati vim, legem, gratiam, qui ignorarit, non video quomodo Christianum vocem. Nam ex his propriè Christus cognoscitur. Siquidem hoc est Christum cognoscere, beneficia ejus cognoscere; non quod isti docent, ejus naturas, modos incarnationis contueri. Ni scias, in quem usum carnem induerit, & cruci adfixus sit Christus, quid proderit ejus historiam novisse? An vero medico fatis est, novisse herbarum figuras, colores, liniamenta? vim scire nativam nihil refert? Ita Christum, qui nobis remedii, & ut Scripturæ verbo utar, salutaris vice donatus est, oportet aliò quòdam modò cognoscamus, quàm exhibent Scholastici. Hæc demum Christiana cognitio est, scire quid lex poscat, unde faciendæ Legis vim, unde peccati gratiam petas, quomodo labascentem animum adversus Dæmonem, carnem, & mundum erigas, quomodo adflictam conscientiam consoleras. Scilicet ista docent Scholastici? Paulus in Epistola, quam Romanis dicavit, cum doctrinæ Christianæ compendium conscriberet, num de mysteriis Trinitatis, de modo Incarnationis, de Creatione activa & passiva, philosophabatur? At quid agit? certè de lege, peccato, gratia, è quibus locis solis Christi cognitio pendet. Quoties Paulus optare se testatur fidelibus locupletem Christi cognitionem? Prævidebat enim fore, ut relictis salutaribus locis, animos converteremus ad frigidas & alienas à Christo disputationes.

## DECOLAMPADIUS

*Epist. ad Suevos.*

Error condonari potest, modò fides assit in Christum. Discordiam,  
neque



neque si sanguinem fundamus, expiabimus. Diligit enim Deus eos qui unanimes habitant in domo, & in medio illorum est.

C A L V I N U S

*Instit. Christ. Lib. IV. Cap. I. 12.*

Quin etiam poterit, vel in doctrinæ, vel in Sacramentorum administratione vitii quidpiam obrepere, quod alienare nos ab Ecclesiæ communionem non debeat. Non enim unius sunt formæ omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ita necessaria cognitu, ut fixa esse & indubitata omnibus oporteat, ceu propria Religionis Placita. Qualia sunt, Unum esse Deum; Christum Deum esse, ac Dei Filium: In Dei misericordiâ salutem nobis consistere, & similia. Sunt alia, quæ inter Ecclesias controversa, fidei tamen unitatem non dirimant. Quæ enim ob hoc unum Ecclesiæ diffideant, si altera citra contencionis libidinem, citra pervicaciam asserendi, animas à corporibus demigrantes in cœlum convolare putet, altera nihil ausit definire de loco, cæterum vivere tamen Domino certò statuat? Verba sunt Apostoli: *Quicumque perfecti sumus, idem sentiamus: Siquid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Annon satis indicat, diffensionem de rebus istis non ita necessariis, diffidii materiam esse non debere inter Christianos? primum quidem est, ut per omnia consentiamus: sed quoniam nemo est qui non aliquâ ignorantia nubeculâ obvolutus sit, aut nullam relinquamus Ecclesiam oportet, aut hallucinationem condonemus in iis rebus, quæ & inviolata religionis summa & citra salutis jacturam ignoratu possint.

B U C E R U S

*Epist. ad Acad. Marburg.*

Sed furit hoc sæculo exitialissimus ille Satan, sanctæ concordiaæ vetus disturbator, quodque unicè dolendum, multorum alioqui minimè malorum hominum animos sic occupavit & facinavit, ut quicquid ipsis semel dogmatum arriserit, id qualecunque sit, nihil addubitent, vel ex diviniore revelatione se, vel infallibili Scripturarum traditione, accepisse. Hinc illicò tanquam Christi spiritu inanes deplorant, quicumque eadem protinus non susceperint; qui verò etiam illa impugnarint,

E hos



hos mox pronunciant, à Spiritu veritatis hoste exagitari, quòd nemo loquens in Spiritu Sancto, dicat anathama Jesu. Nam Christum ipsum & totum proculcari existimant, simul atque vel tantillum damnaveris eorum, quæ ipsi vera credunt: nullâ penitus ratione habitâ, qua de re dissensio sit, & quantum ferat ignorantia & certa tamen in Christum fides, ac sincerum innocentia studium. Que planè antiqui veteratoris fascinatio, si, quod omen avertat Deus, obtineat, tot habebimus Ecclesias quod capita. Nemo siquidem hîc vivit absque errore, nullus est cui non in sacris quoque videatur sæpe, quod à vero absit quàm longissimè. Atqui cùjus pectus tenet timor Dei, is nec ipse doctrinæ sacræ nomine amplectetur, nec docebit alios, quod non sit persuasus verum atque à Deo profectum esse. Si jam velis illicò Spiritu Christi destitutum iudicare, quicumque non idem censeat, & hostem veritatis, qui quod existimat falsum, confutare in animum induxerit, quem quæso tandem fratrem agnosces? Nam ne unum quidem unquam par hominum vidi, quod per omnia eadem sentiret, etiam in sacris. — Certè istuc si sic habet, & est, ob quamlibet veritatis oppugnationem, frater rejiciendus, haudquaquam debuerunt, ut fratres coli, qui manifestæ adeò, quam D. Paulus, & alii Apostoli de libero ceremoniarum Mose usu tradebant, diligentiaque procul dubio singulari commendabant, veritati reluctabantur. Nam sicut quod adversari Legi Dei existimabant, ipsi fugiebant religione deterriti, ita alios quoque inde revocarint, cùm fratres essent, & timore Dei agerentur, atque ita veritatem Christi oppugnaverint oportet. Et eam sanè, quâ negatâ, negatur Christus unus esse & consummatus in se credentium Servator. Sed Paulus humanæ conscientia imbecillitatis, quantumque ignorantia teneat mortales omnes, & certus esse Dei filios, quicumque ipsius timore præditi sunt, haudquaquam illos veritatis, quam nondùm agnoscere poterant, hostes haberi voluit, utcunque illam inscientes, non rejicerent modò, sed etiam, quâ erant sinceritate & erga Dei Legem religione, impugnant. Christum quidem Servatorem unicum & consummatum agnoscebant, non videbant autem quid hinc fidei adversaretur, credere simul Mose ceremonias, ut à Deo præscriptas, observandas necessariò. suo tempore, ut omnia Deus certis temporum articulis dispensat, & hoc ipsum visuri: Ut igitur in nullius creaturæ manu erât, hanc illis veritatem, differente suam doctrinam Deo, persuadere, ita nihil potuit circa eos fieri salubrius, quàm quod præcepit Paulus, nempe quòd Fratres agnoscerentur, & contentiosis disputationibus minime

exa-



exagitarentur. — Sic jam & nos perturbato hoc sæculo, quo non sola doctrina Sacramentorum, sed tam multa præterea, inter eos quoque, quos fructus abunde probant nonnullo Dei studio teneri, controvertuntur, agere addecebat, nempe ante omnia considerare, si quem Christi Religio obstringat, si cui adspirarit Deus sui timorem. Hunc enim quicumque nacti sunt, tale habent sapientiæ initium, eam vitæ venam, ut tandem omnia filiorum Dei certò consequuturi sint. Quos itaque videmus Deum in numerum filiorum suorum adlegisse, eos cur nos Fratres agnoscere dedignemur? sicubi errare videntur, cur non cogitamus, nos forsan ibi, ubi putamus illos, labi? Nemo sanè sciens errat, & nemo quantumvis sanctus ab errore immunis est. Deinde ut omninò errori minimè affines nos esse persuasum fit, cur non agnoscimus & nobis fide infirmos esse suscipiendos, quòque nobis videmur fortiores, eò nos decere curam habere imbecillium propensioem? nec hos alios esse, quàm qui Christo quidem sese dederunt, hærent tamen in aliquibus, quæ quidem, ut de sententia eorum, qui ceremonias Mose sic mordicus tenebant, modò diximus, fidei Christi prorsus repugnant, etiamsi id ipsi in præsens non queant videre, nec sint visuri antea, quàm Spiritus Dei, quod ipsorum modò mentes obtegit velamen, submoverit. Christus servator ipse dixit, æternam illum vitam vivere, qui in ipsum crediderit; jam habet suos vera Fides fructus, sedulam in usus fratrum dilectionem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, in rebus agendis veritatem & fidem, mansuetudinem, & temperantiam. Hæc ubique effulgent, illic verè Christus est, propterea quod à veteri homine ista tam frustrà expectantur, quàm à spinis uvæ. Qui igitur Dominum Jesum Christum confitentur, quod nisi in Spiritu Sancto nemo seriò potest, qui innocentia, & demerendi quoslibet studio, quod tantùm filiorum Dei est, intenti sunt, eos ut indubitatò agit Spiritus Christi, cujus sunt, ita si Fratres non agnoscimus, verè Christum in illis rejicimus. — Sed est tamen statuendum quatenus cum variantibus in dogmatis doctrinæ Christianæ jus servandum sit sacrae communionis, & custodienda fraternitas. Certè memorat D. Paulus se Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidisse, quanquam hi blasphemi fuerint, sed sub finem ejus Epistolæ jubet sejungi & ab iis, qui diversam doctrinam sequuntur, & non accedunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu. Et Johannes Presbyter scripsit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec ave dixeritis &c.* Cùm itaque ex traditione Apostolica liqueat, omninò quos-



dam qui in doctrina variant, esse rejiciendos vitandosque, & rursus quosdam suscipiendos, fratrumque loco habendos, dispiciendum est, quænam doctrinæ diversitas Christianæ vinculum Pacis solvat, quæ minùs. Hoc præclarè, ut omnia, idem Paulus docet. Nam, in priore ad Timotheum, Cap. I. cùm mandasset illi ut moneret quosdam, ne diversam doctrinam sequerentur, quæ nullam ædificationem præberet, statim subjecit; *Porrò finis præcepti est Caritas ex corde puro, conscientiâ bonâ, fide non fictâ.* Quo apertè satis docuit, in quo sita sit, quodque agnoscenda doctrina religionis nostræ proba & genuina, in sincerâ nimirum conscientiæ à fraude, & fidei à fucò alienæ, dilectione, quæ omnibus Christi spiritu destitutis prorsus inimitabilis est. Quare quicumque hanc sic præ se tulerit, ut diversum vita ejus non probet, is planè ut Christi membrum, quibuscunque erroribus obnoxius sit, habendus est dignusque quem Christianæ fraternitatis officiis colamus. Ita Cap. VI. cùm jam doctrinæ fidei in Christum, de germanæ officii dilectionis præcepta subjecisset, in hunc modum scripsit: *Hæc doce & exhortare.* — Quo jam pacto isti judicium suum approbabit ei, qui hæc per Paulum præcepit, qui verè bonos, & nulli sanæ doctrinæ scienter obistentes, omni denique admonitioni Spiritum Dei respicienti, & verbum ejus præ se ferenti pronis animis auscultantes, tantùm quòd paucula aliqua, nec ea magni momenti, quæ profecta ex Deo agnoscere nequeunt, rejiciant, dare protinus Satanæ audent, regni que Dei, quantum in ipsis est, extorres facere?

## M A R T Y R,

In I. Corinth. X. 11.

Miserum est, cùm habeamus tot clara & aperta in Sacris Literis de Fide, Spe, Charitate, & cæterarum virtutum officiis, in quibus nihil est obscurum, ea prorsus neglecta relinquamus, & tantâ superstitione, quæ incerta sunt & minùs ad salutem faciunt, velle persequi. Hoc Diabolus curat, ut in quæstionibus infinitis ac inutilibus vehementer laboretur, abjectis quæ necessaria sunt ut serventur.

JA-



JACOBUS I. Magnæ Britanniaë Rex, teste *Casau-*  
*bono*, Epist. 710. ad *Cardin. Perronium*.

Verissimè autem scriptum esse in explicatioe τῶν ἀπλῶς ἀναγκαίων Rex arbitratur, rerum absolutè necessarium ad salutem non magnum esse numerum. Quare existimat ejus Majestas, nullam ad ineundam concordiam breviorẽ viam fore, quam si diligenter separentur necessaria à non-necessariis, & ut de necessariis conveniat, omnis opera infumatur: in non-necessariis, Libertati Christianæ locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expressè verbum Dei, præcipit credenda faciendave, vel ex verbo Dei, necessariâ consequentiâ, vetus Ecclesia elicit. At, quæ ex institutione hominum, præter verbum Dei, quamvis piè & prudenter, pro tempore, in usum Ecclesiæ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari posse existimat; & quod Pius II. de cœlibatu Clericorum dicebat, *bono olim jure sancitum, meliore nunc iri antiquatum*, id, in genere, de plerisque observationibus Ecclesiasticis, extra verbum Dei introductis, posse usurpari Rex credit. Si, ad decidendas hodiernas controversias, hæc distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candidè separaretur, non videretur, de iis quæ sunt absolutè necessaria, inter pios & moderatos viros, longa, aut acris, contentio futura. Nam, & pauca illa sunt, ut modò dicebamus, & ferè ex æquo omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant. Atque istam distinctionem Serenissimus Rex tanti putat esse momenti ad minuendas controversias, quæ hodie Ecclesiam Dei tantoperè exercent, ut omnium pacis studiosorum judicet officium esse, diligentissimè hanc explicare, docere, urgere.

J U N I U S,

*Eirenici*, Part. II. in Psalm. 133.

Quapropter satis mirari non possum eorum hominum sive audaciam, sive dementiam, qui tantum hoc jus necessitudinis, Deo auctore, divinâ virtute, & mediis planè divinis, constitutum, tam parvi faciunt, ut alios sibi Fratres non esse judicent; aut etiam, si fortè in communi noverint nos alios aliis Fratres esse, tamen cùm ad singularia venit, sive in particulari (ut loquuntur) hunc, illum hominem;

E 3

hanc,



hanc, illam Ecclesiam nihil secum habere conjunctionis & fraternitatis existimant. — — Jam verò, Deus bone, quid audio? naturæ obligationem homo non perimit; humanam quoque necessitudinem abolere privato aut singulari factò suo unus homo non potest: & necessitudo, quam divinum institutum gratiæ conciliavit, voluntate Hominis dissolvatur? O insaniam miserabilem! quâ se abripi quicunque finit, jam priùs se Deo & Christo eripuerit, quàm alterum eripiat cogitatione necesse est. Nam quis odit suam ipsius carnem? quod membrum dat operam truncando corpori suo? jam non est de corpore Christi, qui præsecare cogitat membrum Christi. Et tamen hic morbus est (ut ita dicam) epidemicus ætatis nostræ: in quâ cognoscendis, librandis, judicandis, damnandis, & explodendis Fratrum nostrorum factis, & ipsis protervè exauctorandis, sumus plerique omnes audacissimi: neque dubitamus, homines, Ecclesias, regiones totas, & potestates à Deo institutas, quasi pro imperio, maledictis & anathematis incessere, quamvis Christum sapiant, quia nobiscum non sapiunt omnia. Manet, mi Frater, manet nostra conjunctio: sed tua est (cujus mi miseret) alienatio. Si te alienare à me voles, non potes quin priùs alienes à Christo, in quo Fratres sumus: ego nec volo, nec possum; quia fratrem me sibi adjunxit Christus, & fratrem effecit tibi. Si fraternitatem rumpis, de integro nec tam; si dissuis, dabo operam ut resarciam si evertis, erigam denuò; si negas, affirmat Christus, & ego cum Christo; si audire non vis, audiunt tamen boni, & audit Dominus, coram quo miseret me ex animo impotentia tua. Misericordiâ ductus feram quicquid non potero corrigere: sed ferens tamen, hæc duo observabo studiosissimè: unum, ut constanter expectem à Domino curationem miserandæ istius infirmitatis tuæ alterum, ut ipse quoque justas occasiones observem adjuvandi charitate, & surrigendi tui, si fortè Deus hâc meâ operâ ad salutem tuam aliquando uti voluerit. Cur enim perturbatos animo, vel in causâ religionis, non feramus æque ac ferimus eos quos ira, odium, & similia, de statu mentis demoverint? Hæc si inter Fratres nascentur, nihilominus Fratres sunt, nec esse desinunt. Iniquè ergo fecero, si propterea quòd Fratrem te esse negas, aut negas officium Fratris, ego in idem vitium incidero. Nolo malefacto meo accumulare insipientiam tuam; sed sapientiæ quicquid accepi à Domino, id integrum, conservare, & ex officio restitutionem tuam procurare, aut certè, si nihil aliud, coram Deo hominibusque testari officium meum.

Quid



Quid ergo putamus, miseri? quid fingimus, cum tanto supercillo alii alios quasi furcillâ extrudimus, & censoriam quandam virgulam in hos, in illos promiscuè adhibemus, tanquam si nobis solùm esset iudicii nasus; aut Christus hanc facultatem cessisset nobis, quâ ad libidinem animi nostri abutamur? Id sanè faciant Satanæ stabularii: at Oves Christi non decet, Pastores minimè: Quin potiùs Christo cedimus, nos & illos in communionem corporis & Spiritûs sui gratiosissimè adhibenti?

P A R E U S,

*Irenici* Cap. IV.

Prima Quæstio erit: *Quinam Articuli sint fundamentales, seu in quibus Fidei capitibus verè consistat fundamentum salutis?* Ubi prudenter discernendi venient Articuli Fidei Catholicæ, quos nulli adultæ ætatis Christiano, docto, indocto, citra salutis jacturam ignorare, vel non credere fas est, ab aliis quæstionibus, quæ ex particularis alicujus loci Scripturæ diversa intelligentia inter aliquos Theologos in controversiam veniunt; à conclusionibus item Scholasticis vel Ecclesiasticis, quarum notitia & assensio in hanc vel illam partem Theologis quidem necessaria est ad professionis suæ Theologicæ scientiam, rerumque divinarum uberiolem cognitionem aliis tradendam vel tuendam; à Christianis verò in communi, citra salutis periculum ignorari potest: quandoquidem pleræque istarum, Articulos Fundamentales vel directè non attingunt, vel nec indirectè; sed tales sunt, quæ ad salutem neque scientibus proderunt, si veram Christi fidem non habuerint; neque ignorantibus nocebunt, si in Christum verè crediderint. AUSIM enim confirmare, majorem tam veterum hæresium quàm præsentium dissidiorum partem, in Ecclesia hinc præcipuè natam fuisse & esse, quòd Concilia, Episcopi, Doctores Ecclesiæ, nullo discrimine, quævis Scholarum dogmata & Cathedrarum placita pro articulis Fidei Catholicæ venditarunt, parique ad salutem necessitate credenda conscientis imposuerunt: ex quavis verò interpretationis Scripturarum discrepantia nimis facile hæreses vel schismata fecerunt.

Ibid. Cap. XXIX.

FUNDAMENTUM propriè est illud, quod imo loco ad sustinendum  
ædifi-



ædificium sup̄tis struitur, & absque quo domus stare non potest. Itā Fidei & Salutis nostræ fundamentum erit, illud, quod omnibus Christianis præcisè ad salutem creditu est necessarium, & absque cuius fide salutem nulli consequuntur. Fundamentum hec uno verbo est JESUS CHRISTUS, juxta Apostolum, &c. Fundamentum verò Prophetarum & Apostolorum est summa Doctrinæ Prophet. & Apost. &c. In Ecclesia vocari solent elementa Fidei Christianæ, summam Legis & Evangelii continentia, quæ omnia ad quatuor capita revocari posse videntur. Primum caput est *Decalogus*, &c. Secundum est *Symbolum Fidei Apostolicæ*, &c. Tertium est *Precatio Dominica*, &c. Quartum denique est de *Sacramentis*, &c. In his capitibus, nostrā quidem sententiā, si populariter loquendum sit, fundamentum Fidei & salutis Christianæ latissimè extensum, consistit. Hæc enim qui fide tenuerit & fecerit, saluus procul dubio erit, quantumvis reliquas disputationes Theologorum ignoraverit. — In his ipsis tamen capitibus discrimen aliquod esse posse libenter etiam concesserimus. Nam alia aliis magis vel minus ad salutem sunt necessaria.

## CALIXTUS

### *Judicio de Controversiis Theologicis &c. § 1. & 3.*

Absit igitur, ut ullum Christianum, qui non desierit Christianus esse, non desierit esse Dei filius, & proinde frater noster, & unā nobiscum membrum in corpore Christi, & cohæres æternæ salutis; absit, inquam, ut ullum ejusmodi odio habeamus, aversemur, aut excremur. Absit ut societatem ullius, quem in communionem Christus recepit, nos abominemur. Absit ut ei, cui ille dicturus est, *Veni, benedicte Patris mei*, nos dicamus, *Abi, maledicte Satanàs*. — Neque enim quivis circa res Religionis error è statu gratiæ deturbat, vel hæreditate regni cœlestis dejicit: alioquin salutem sperare vix quisquam possit.

*Idem. inter ultima verba, hæc dixisse fertur, teste Programmate de ejus obitu.*

Ego cupio mori sub capite Christo, & in fide verè Catholicæ Ecclesiæ, & amore omnium, qui Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum sincerè colunt & diligunt. Non condemnabo errantem in quæstionibus

nibus



nibus non-necessariis, & mihi quoque Deum veniam daturum confido, si in talibus, ut fieri potuit, aberraverim.

JOH. MATHIÆ,

in *Ramo Olive Septentrionalis*, Bacca VIII. §. 6.

Caput omnium, quæ in hoc argumento dari possunt, consiliorum est, ut, missâ tot dogmatum disputabilium & minùs necessariorum multitudine, ad pauca, certa, & necessaria redeatur; ad simplicitatem nempe primam Apostolicam, postea perpetuâ traditione in Ecclesiam derivatam. Ista verò in Christi & Apostolorum ejus verbis, hujusque imprimis dictis liquidis clarisque, quærenda est. Et ex his sanè deprompta sunt necessaria illa liquida, certa, catholica dogmata, quæ totus ubique Christianismus perpetuò, hoc est, ab ipsis Apostolorum temporibus, ad hæc usque nostra, continuato publico consensu, credidit creditque. Ac talia sunt quæ in Symbolo continentur Apostolico, receptâ Christianorum tesserâ, quæ antiquo & optimo more à quovis Christi sacris initiando requiritur. Atqui de hujus etiam ipsius Symboli sensu controversiæ sunt, inquires? Sunt, fateor: sed eæ ferè omnes non nisi à curiosis nimium Scholastico-Theologis & Theologo-Philosophis motæ motæque, quibus scilicet sacram hanc artem sine modestiæ fræno facientibus (de probis nempe Theologis hîc non loquor) unum ubique studium est, quæstiones ex quæstionibus, consequentias ex consequentiis, & denique lites ex litibus serere, absque modo & fine. Unde, ne usquam litigandi materia desit, in explicationem Symboli, universam propè Theologiam Theoreticam, quæ hodie ingens & multorum voluminum est sicque cum eâ immensa controversiarum agmina inferunt, labore, non dicam noxio, sed minimè necessario; cum sine istis quæstionum nodis boni Christiani Symbolum sufficienter, per Dei gratiam, intelligere possint.

DU MOULIN,

*Nouveauté du Papisme* Preface.

*Les choses nécessaires à salut sont si clairement couchées en l'Écriture, qu'il n'est point besoin d'interprete pour les entendre suffisamment à salut. L'Écriture nous enseigne que Dieu a créé le Monde, que J. C. est mort pour nous, qu'il*  
F
est



est ressuscité. Elle commande d'aimer Dieu de tout son cœur, & son prochain comme soi-même. Elle defend de tuer, de paillarder, de dérober, &c. Pour entendre ces choses, faudra-t-il trouver un Interprete infailible ? Or je dis qu'en l'Ecriture les choses qui sont ainsi claires suffisent à salut.

Ibid. Chap. I.

La foi du Fidele se contente de peu d'articles, esquels consiste la substance de la pieté ; lesquels sont couchez en l'Ecriture en termes si clairs, qu'ils n'ont besoin d'interpretation.

Ibid. Chap. XLVI.

Tout le service de Dieu consiste en deux points, a sçavoir à bien faire, & à bien croire. Or nous avons le sommaire du premier en la Loi de Dieu, & du second au Symbole. Force personnes sont parvenuës au salut avec moins de connoissance que cela. Jonas n'a pas proposé toutes ces choses aux Ninivites, à la conversion desquels neantmoins Jesus Christ rend témoignage au XII. de S. Matthieu,

M E S T R E Z A T ,

Traité de l'Eglise, Liv. I. Ch. I.

L'Evangile annoncé par Jesus Christ & ses Apôtres, donne en sa simplicité, & sans tant de choses, une connoissance suffisante pour convertir l'homme à Dieu, & par cela le metre en son Eglise. Ce fut cette simplicité de la Doctrine reçue d'un franc cœur qui incorpora en un jour à l'Eglise ces trois mille ames dont nous avons parlé ci-dessus ; selon que cela est rapporté au Ch. II. des Actes. Or il leur eust falu, non un jour, mais plusieurs mois, voire plusieurs années, pour connoitre toutes les controverses que tant les Payens que les Juifs mouvoient aux Chrétiens, & pour avoir la solution de tous les argumens & de toutes les instances qu'on faisoit sur les points de l'Incarnation de Jesus Christ, de sa Divinité, & de celle du Saint Esprit, de l'expiation des pechez, & de la satisfaction à la Justice de Dieu par son Sang, de la Resurrection des Morts, & de l'Immortalité de l'Ame combattue par les Sadducéens & autres. L'Eunuque de la Reine d'Ethiophe n'eust peu (selon le compte du Cardinal) entrer en l'Eglise, & recevoir le Baptême, par la connoissance de la Foi, en l'espace de quelques heures, à la Predication de S. Philippe, comme il fit. Car il est dit que Philippe ayant trouvé l'Eunuque lisant un texte d'Esaië, lui annon-

ça



ça Jesus, commençant par ce texte. Or annoncer Jesus, c'est annoncer la Doctrine Chrétienne. Et combien eut-il fallu à ce compte d'années aux Catéchumenes pour les introduire en l'Eglise, puisqu'ils ne pouvoient entrer en l'Eglise que par la connoissance de la Doctrine? Il s'agit donc ici d'une connoissance suffisante à salut, laquelle consiste en une mesure de lumiere dont les simples & les petits sont capables en peu de tems. Il s'agit ici, non de former un Docteur en Théologie, mais un Chrétien, non de monter en une chaie d'Ecôle & de controverfes, mais d'apprendre la Loi de Dieu laquelle donne sapsience au simple; & non tant de disputer contre toutes erreurs, que d'apprendre à combattre ses vices par la connoissance de la mort & de la résurrection de J: Christ, selon que l'Apôtre déclare, qu'il ne s'étoit proposé que cela. I. Cor: II:

Pourtant cette mesure de connoissance a été restreinte par l'Eglise des premiers siecles à l'intelligence du Symbole des Apôtres, laquelle elle requeroit pour recevoir en l'Eglise, & pour donner le Baptême. Et si bien cette mesure de connoissance ne suffit pas, peut être, pour convaincre autrui, elle suffit pour sanctifier celui en qui elle est, & l'edifier en Jesus Christ. Même (comme ce qui est droit fait connoître de soi ce qui est oblique) la simplicité de la Doctrine de l'Evangile contenuë en ce Symbole, suffit pour faire rejeter tout ce qui ne lui est pas conforme, & par consequent pour éviter les erreurs, autant qu'il est nécessaire à salut.

## C L A U D E,

### Défense de la Réformation, II. Part. Ch. 9.

Nous disons seulement, que ce que l'Ecriture contient d'une manière proportionnée à l'intelligence de tout le monde, touchant la Foi & les Mœurs, suffit pour le salut, moyennant que d'ailleurs on n'ait pas des erreurs qui en empêchent l'effet: Or cette proposition n'a pas besoin d'être prouvée par des textes de l'Ecriture. Elle se prouve assez, tant par la nature même des choses que l'Ecriture enseigne clairement, que par les lumières du sens commun, & par les premières notions de la conscience. Car ces premières notions dictent à tous les Chrétiens, qu'encore que Dieu soit libre en la dispensation de sa vocation, il est pourtant sincère envers tous ceux à qui sa vocation est adressée, & qu'y ayant entre ceux-là les foibles, aussi bien que des forts, des simples aussi bien que des Sçavans, il faut nécessairement en conclurre, qu'il n'a pas voulu rendre son salut inaccessible, ou impossible aux plus simples, pourvû que de bonne foi ils s'y appliquent selon leur vocation.



Ibid.

*Mais quant à la seconde manière en laquelle l'Ecriture est la règle de la Foi, savoir, pour former la foi dans un degré de simple suffisance pour le salut, par les choses essentielles qu'elle contient clairement, je dis qu'à cet égard son usage est déchargé de toutes ces longueurs, & de toutes ces difficultez & accommodé à la portée des plus simplis, ne supposant qu'autant de bon sens, & de bonne conscience, que Dieu en donne aux plus petits de ses enfans.*

Ibid.

*Je dis, enfin, qu'il n'est pas nécessaire que les plus simples consultent les Interprètes de l'Ecriture, pour s'assurer de son véritable sens; car les objets de leur foi y sont si clairement expliquez, ils y sont proposez en tant de lieux, ils y sont si bien liez les uns avec les autres, ils y sont d'une manière qui pourvoit si bien à tout ce qui est nécessaire pour l'instruction de l'esprit, pour la consolation de la consciene, & pour la sanctification de l'ame, qu'avec la grace de Dieu qui les accompagne dans ses Elûs, ils n'ont besoin que de leur simple presence pour s'insinuer & s'affermir dans les cœurs, & pour y former une véritable foi.*

## HEIDEGGERUS.

*Dissert. de Fundamento Salutis. §. 71.*

*Tertio denique animadvertendum, eum, qui immunis est ab errore fundamentali theoretico, in errorem fundamentalem practicum cadere posse, si videlicet charitate destitutus damnet & occidat eos, quos Deus damnatos & occisos non vult. Et deterior sanè multùm est conditio illius Ecclesiæ, quæ aureæ suæ superædificationis splendore, (nèdum inani fortassis imagine & fallaci specie) adeò inflatur & intumescit, ut, charitate neglectâ, æquanimittate depositâ, calcâtâ Christi Lege, Ecclesias in fundamento orthodoxas, propter inædificatas fundamento falsarum opinionum stipulas, superciliosè contemnat, hæreseos insimulet, fastidiosè rejiciat, orcoque adjudicet, quàm illarum Ecclesiarum, quæ fundamentum retinentes, licèt scientiâ inferiores, & in fide infirmæ sint, charitate tamen invicta pollent; Beatique adeo Cypriani vestigiis insistent, &c.*

SPAN-



SPANHEMIUS,

de *Fundamentalibus Fidei Capitibus*, Disp. I. §. 2. 4. 6.

Difficultatis causæ in Fundamentalibus definiendis, aut qualiscunque dissensionis, sunt *generales* aliæ, aliæ *speciales*. Generales sunt, I. Ex parte *humani intellectûs*; ejus scilicet angustia, & partiale donum prophetandi. Ita diversus concipiendi modus, pro ingeniorum diversitate, hinc & res explicandi, easque vel diffundendi in plura capita, vel in pauciora coarctandi, &c. II. Ex parte *Voluntatis*, Charitatis nempe defectus, & studium immodicum partium, & præjudiciorum vel opinionum tenax animus. Quo fit, ut quælibet veritas sæpe cum credendi necessitate, aut quilibet dissensus cum dissensu fundamentalis, temerè nimis confundatur. Unde Schismata, quæ dividant Christi inconsumibilem togam, ac corpus illius dilacerent, oriri in Ecclesiâ subinde necesse est. — Si excedimus, ut pro fundamentalibus & necessariis obtrudantur, quæ minimè talia; jam via salutis arctatur plus justo, conscientia præter jura libertatis adstringuntur, & à comunione sive Christi, sive Ecclesiæ, illi fortasse prohibentur, quòs admissos oportuit. — Quintò difficilius longè est designare illud *minimum*, in Fidei negotio, à quo salus æterna dependeat: adeoque divinæ misericordiæ modum quemdam statuere, ac terminos præfigere; dum sunt miserationes ejus abyssus. Quod & à Theologi instituto alienum esse debet. Ita subjectorum diversitas intercedit, quominus par sit credendorum omnium ratio aut modus in ordine ad omnes & singulos. Sunt enim alii infantes, adultiores alii; hinc in aliis uberior, rudior in aliis cognitio suffecerit, uti suo loco demonstrandum.

Ibid. Disp. X. §. 8.

Ac sæpe id sibi dari negotii censet Theologus, ut damnet de Fide dissentientes, quem iniquioris judicii, & spretæ Caritatis, & talenti pessimè collocati. Christus ipse damnabit.

WITSIUS,

Exercit. II. in *Symbolum Apostolicum*, §. 3.

Quanquam necessitate præcepti omnibus incumbat, ut, quantum fie-



ri potest, ad clarissimam, distinctissimam, certissimam credendorum cognitionem enitantur, tamen dubitandum non est, quin immensa Numinis clementia multos cœlo beet, qui etiam præcipuorum articulorum non nisi confusam admodum cognitionem habent, quam verbis suis exponere non admodum idonei sunt.

Ibid. §. 17.

Nostrum non est involare in tribunal Dei, & de proximo pronunciare, ob quantillum scientiæ defectum, quantillumve errorem, cœli mansurus sit extorris. Tutiùs id Deo committetur.

*Idem, Orat. de Theologo Modesto.*

Cæterùm quandoquidem in Sacris nostris non omnia æquè cuivis obvia, nonnulla etiam ob prisca temporis sermonisque ignorantiam obscuriusculè proposita, alia denique ex ipsa rerum natura à multorum perceptione remota sunt, modestiæ est ita in eorum expositione versari, ut nihil temerè definias, nihil superciliosè præscribas, sed potiùs quid tibi, omnibus expensis, probabilissimum & verosimillimum videatur, verecunde profitearis, relicta prudentioribus dissentiendi libertate. Enimverò nihil indecentius, nihil à Christianismi genio, & Novi Testamenti libertate magis alienum est, quàm unum aliquem (vel aliquos) exurgere, qui se supra fratres suos, æquè pretiosæ Fides confortes, efferat, eosque, in Cæritum tabulas relatos, ad suorum verborum formulam adigat. Quod utique procul repulsum esse debet ab homine sui non ignaro, & quid sibi desit, quoties extraverit, tum etiam quum minimè se errare crederet, tam aliunde, quàm ex quotidianis profectibus suis, experto. Christianæ Fidei Doctores quotquot sumus, Fratres sumus, ad unius Magistri, Christi, pedes ex æquo adsidentes. Rebellis in Magistrum est, & fundamentales Scholæ Leges proterviter conculcat, quisquis sibi imperium arrogat in condiscipulos. Isti autem imperio, sive unius, sive plurium in eandem tyrannidem consentientium, sponte se submittere, isti jugo colla subdere, isti cippo crura dare, non generosa modestia, sed abjecta pusillanimitas, & indignares libertate Batavâ (Christianâ) est. Ferreum istum, qui volet, calceum ignarus induat: ad meum certè pedem non facit.

*Idem.*



*Idem Vir Celeberrimus hoc Symbolo creberrimè utebatur, illudque  
Amicorum albis vulgò inscribebat.*

In necessariis Unitas,  
In non necessariis Libertas,  
In omnibus Prudentia & Caritas.

LA PLACETTE,

*Traité de la Foi Divine, Liv. IV. Chap. 10.*

*Il y en a deux autres ( Caractères des Véritez nécessaires ) que je crois de plus grand usage. L'un est, la déclaration expresse de l'Ecriture, qui fait entendre nettement & distinctement la nécessité de quelques unes de ces Véritez. L'autre est, l'impossibilité visible qu'il y a à remplir de certains devoirs, que l'Ecriture nous représente comme indispensables, si on ne connoit de certaines veritez, qui en sont en quelque sorte les fondement.*

*Ibid. Chap. 13.*

*Les veritez nécessaires ont trois qualitez. La première, qu'elles ne sont pas en fort grand nombre. La seconde, qu'elles sont aisés à entendre, & ne demandent pas une pénétration extraordinaire; & la troisième qu'elles se trouvent par tout, dans les Livres Saints, & se présentent, si je l'ose dire, à chaque page. Ainsi il est moralement impossible qu'un homme qui s'applique avec quelque soin à s'instruire, non seulement en ignore aucune, mais encore n'aille beaucoup au delà.*

PUFENDORFIUS,

*Jus Feciale Divinum, §. 15.*

*Id apud omnes, puto, in confesso est, non quamvis erroneam opinionem esse exitiabilem, & cum periculo salutis conjunctam, sed eam tantum, quæ fundamentum fidei salvifice evertit. Nam postquam à primæva simplicitate Fidei Christianæ discessum est, multis libido subiit ejusdem Mystéria, submissa veneratione adoranda, in materiam subtilitati ingeniorum exercendæ convertere, ac in modos, quis divinæ sapientiæ ac potentiæ sese placuit exserere, curiosè in-*  
quire.



quirere ; tum circa quæ rationem qualemcumque sibi invenisse visi sunt , velut palmaria Fidei capita , aliis obtrudere , ac dissentientes Heterodoxiæ arguere. Igitur postquam in tam vastam molem Theologica Disciplina intumuit , ac tanto quæstionum , in utramque partem disceptari solitarum , proventu luxuriari cœpit , jam palmaria quæstio in eo vertitur , quænam quæstiones Fundamentum Fidei tangant , quænam extra illud cadant ? Id enim ante omnia prius definiendum fuerit , si circa conciliandos ejusmodi dissidentes operæ pretium fieri debeat. Nam uti cum iis , qui circa fundamentum Fidei errant , quandiu eum errorem mordicis defendunt , frustra de Pace Ecclesiastica agitur ; ita si quorum sententia circa Fidei fundamentum rectè se habeat , ac dissensio tantùm circa quæstiones innoxias supersit , eos , hanc ob causam , à Cummunionem ac fraternitate excludere , Caritati , Christianis tantoperè commendatæ , quàm maximè repugnat.

———— Quia porrò maxima in eo difficultas vertitur , utrùm aliqua quæstio controversa ad fundamentum Fidei spectet , an minùs ; quòd isthoc à quibusdam latiùs porrigatur , à quibusdam arctiore limite circumscribatur , nec idem eodem modo ab omnibus deducatur ; judicaverim plurimùm ad abolendam controversiarum segetem facturum , si quis ea dogmata , circa quæ utrinquæ convenitur , in plenum nec hiulcum aut mutilum Systema Theologiæ , ex iisdem principiis probè concatenatâ serie , à capite ad calcem , extruere conetur. Quorum enim dogmata in ejusmodi Systema redigi possint , iis , quo minùs in unam Ecclesiam particularem coalescere queant , quid obstet nihil video , modò indignos Christianis affectus eliminare velint. Ubi si maximè quædam quæstiones controversæ supersint , cùm tamen eadem velut extra Systema cadant , ipsum Fidei fundamentum tangere haud sunt censendæ , eoque nec sufficere , ut ideo concordia & communio abrumpatur , aut abrupta maneat. Ac si istæ quæstiones nullo modo componi queant , præstitit planè ab istis abstrahi , easque velut superfluas & inutiles , quin noxias , ac litigiis causam præbentes , è Theologiâ proscribi. Sermo autem nobis est de justo Systemate , & quo omnia , quæ perfectos Christianos nosse par est , contineantur , quodque adeò omnes Articulos complectatur , qui catenam Fidei absolvunt. Nam aliud est quærere , quinam Articuli ad salutem sufficiant Catechumeno , puero , aut è rudi plebecula homini , quibus multa ignorare impunè licet , modò , in Salvatorem mundi fiduciam reponant , nec positivum errorem foveant huic fiduciæ adversum. Sic Latro in cruce , plurimique simplices , & quondam qui , inter primam  
Christi



Christi confessionem è Martyrum constantia conceptam, ad supplicium abrepti fuerunt, salute positi sunt, quos totam Fidei œconomiam intellexisse nemo dixerit. Unde & arbitramur, plurimos etiam in corruptissimis Christianorum sectis salvari, qui profunditates Satanæ non intelligunt, decepti, non deceptores, quibus simplex in Salvatore mundi fiducia palmarium Religionis caput est.

SAM. STRIMESIUS,

*Theologus* Francofurti ad Viadrum *celeberrimus*,  
*Dissert. de Pace Ecclesiastica*, Cap. VII.

Turpissimum enim est, nec micam Theologiæ Christianæ habet, à Communione nostra illum arcere velle, eâque indignum judicare, qui omnibus, tum ad fidem, tum ad salutem, necessariis instructus, in arctissima, cum ipso DEO, Christo, & Sanctis triumphantibus pariter atque militantibus universis, Communione vivit. Talem si quæ Ecclesia Communione sua expellit, næ ista Antichristi vestigia legit, & Antichristianismi perquam semet suspectam reddit. Nobis extra Salutis Fundamentalibus; nulla Fidei, nec extra Fidei Fundamentalibus, Ecclesiasticæ Communionis ulla reliqua sunt; Cuncta autem in Sacra Scriptura, & Salutis, & Fidei, Communionis denique Ecclesiasticæ fundamento unico atque adæquato, non tantum quæ Rem & materiam proposita, sed & quæ modum formamque definita, notæque suæ characteristicâ designata, quæ ab omnibus minus-Fundamentalibus discriminantur, *dum vel expressis verbis, vel saltem per obviam cuivis consequentiam, ad salutem, vel creditu, vel factu necessaria perhibentur*: Qualia sunt in specie, quæ de Fide in Christum, unicum inter Deum & hominem Mediatorem, & de sanctimonia vitæ, verbô, *de Fide per Charitatem efficaci*, brevi totius Christianismi, certè fundamentalium omnium, compendio perfectissimo, his similibusque formulis edisseruntur; *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, &c.* Extra hæc, in Scriptura Sacra indelebili Fundamentalium caractere insignita, alia ad salutem, eoque ad Fidem & Communionem Ecclesiasticam necessaria nulla, nec ut talia à quoquam, sive publicâ, sive privatâ authoritate, injungenda sunt. Etsi enim Conciliis integrum maneat de Ordine, Ritibus, atque Regimine Ecclesiæ, disponere; Pastoribus item & Evangelii Ministris incumbat, in Sacris plura scire quàm vulgus tenet; tamen nec istis Fundamentalibus alia con-

G

de-



dere licet, quàm in Scriptura condita sunt, nec his convenit plura Fundamentalia credere, quam à Spiritu Sancto tradita, à Christianis, cujuscumque ordinis, seu Doctoribus seu Auditoribus, credita olim sunt. — Hujusmodi autem Articulis admittis omnibus, in reliquis dogmatibus, atro carbone à Spiritu Sancto haud notatis, liberum cuiusvis pio manet judicium. Neque enim magis opinionum, quàm Rituum varietate Fidei Unitas dissolvitur; nec ob multiplex hominum ingenium captumque, ob varia eorum præjudicia, ob varium educationis modum, ob lumen, cum rationis, tum gratiæ divinæ, differenti mensurâ ipsis impertitum, ob vim facultatè que veritates Theologicas apprehendendi, de iisdem judicandi, alias ex aliis colligendi confirmandique, diversissimam, aliâque infinita, opinionum diversitatem necessariò invehentia, & vel ipsos Christi Apostolos in diversum trahere apta nataque, à quoquàm sperandum est, ut Christiani in singulis Religionis suæ apicibus ex asse conveniant. Præsertim, cum Deo ipsi visum fuerit, hanc nobis tolerantia atque moderationis nostræ Christianæ, earumque exercitii materiam longè amplissimam his in terris haudquaquam eripere, quin istâ superstite pacem dictitare *sectandam cum iis, qui invocant Dominum de corde puro, &c.*

S A M. W E R E N F E L S I U S.

*Theologus Basileensis eximius, Dissert. pro  
Plebis Judicio Cap. III.*

Cuilibet Christiano necessarium statuimus, ut rectum ferat judicium de iis, quæ, ut Augustinus loquitur, *continent fidem moresque vivendi*; de articulis. ut loqui solemus, *ad salutem necessariis*, id est, sine quorum cognitione actus fidei aliâque officia præstari nequeunt, quæ Deus à quolibet salvando requirit. Hæc verò dogmata, *nec numero multa sunt, nec in scripturâ S. detectu difficilia.* Hac enim potius ratione Deus consuluit plebi, Christianam Religionem simplicem & facilem reddendo, ejusque captui attemperando, quàm exigendo aliquid à Plebe, quod supra captum ejus est, ut postea succurreret huic ejus infirmitati, erigendo in Ecclesia cathedram infallibilem, cui omnes tutò se possent submittere. Dico, dogmata necessaria *numero non esse multa.* Neque enim excellentia Fidei tam consistit in rerum creditarum multitudine, & cognitionis amplitudine, quàm in Fidei *firmitate*



te & efficaciâ. Quod manifestè docent omnia eorum exempla , quorum ipse Christus & Apostoli fidem tantoperè deprædicant, Sanè Philippus ex Æthiope baptizando non quærit, quantam cognitionem acquisiverit, & quam multa credat; sed num paucos articulos, neque enim multos tam brevi tempore discere poterat, *credat ex toto corde*. Brevis- simaque Fidei confessione contentus, protinus illum ad baptismum admittit. Quem morem ab Apostolis accepisse, dubitare vix licet. Quomodo enim aliàs tam paucorum hominum ministerio tam brevi tempore tot in orbe exstitissent Christiani, planè ut uno die *tria millia* ad Christianam fidem fuerint conversa, si nemo sine ampla cognitione Christianus esse posset? Secutis etiam proximè Sæculis magnam adhuc Christianæ fidei fuisse simplicitatem, nôrunt, qui scripta illorum temporum legunt & vel *antiquissima fidei Symbola* satis superque docent. Non multa credere, sed pauca firmiter & constanter credere, his convenienter vivere, & pro iis mori, hæc tum temporis Christianum faciebant. Et cui tandem bono Deus exigeret à plebeio homine, ut plura credat, quàm capere potest? Cur posceret, ut assentiatur dogmatibus, quæ, cum ipsi proponuntur, *nomina quidem audit*, ut loquitur Gregorius de Valentia, *rem verò ipsam mente comprehendere nequit?* — Usque adeone gratum est Deo, ut quis credat propositionem, quæ quid significet, nescit? Hæccine fides *opera producet, per charitatem efficax erit, cor purgabit, mundum vincet*, hominem in vitâ sanctificabit, & in morte consolabitur?

E R N. S A L. C Y P R I A N U S,

*Theologus Gothanus præstantissimus*, Præfatione in  
Concordantias Schmidii.

Multi nostræ ætatis Theologi de incremento Rei Christianæ sua vigilantia procurato magnoperè gloriantur. Sed quî potest singularis Christianismi profectus locum habere sine confidentiori veritatis tuendæ proposito, sine Caritate concordiaque studio sincero? Non commemorabimus artes, quibus conatus suos interdum constabiliunt, si non illaudabiles, certè haudquaquam divinas, Illud autem cogitare velim Doctissimos Viros, cum in ipsa consiliorum suorum quasi sede haud rarò contra præcipua & Christianæ & Naturalis Religionis fundamenta bonosque mores protervè disputata, (nescio quo metu) aut



diffimulari, aut frigidissimè improbari. Fratres autem, circa conclusiones quasdam, ut ipsi quidem docent, non adeò necessarias creditu, dissentientes, haud secus ac barbaros, vel tigres potiùs & urfos, efferatâ immanitate impugnari certum sit; non posse non homines vel mitissimos, ac ipsos etiam Principes, tandem vereri, ne suam, quàm Dei gloriam, cariorem habeant; cùm præsertim hujuscemodi discordiâ firmari Adversariorum opes, veritatis autem propagationem nimium quantum impediri animadvertant.

Idem, *Præf. in Analec̃ta Grotio de Ver. Rel. Christ. adjuncta.*

Credibile est igitur, publicæ salutî benè consulturos divinæ voluntatis Interpretes, qui longè petitas Doct̃orum sententias corrigere, aut, nullo interdum ad mores usu, suas aliis, velint nolint, obtrudere gestiunt, si corruptos depravatosque multorum in Aulis viventium mores reformarent, iisdemque persuasum irent, animos esse sempiternos; Deum, scelerum testem ac vindicem, gesti muneris rationem olim exacturum; naturam omnes homines æquali dignitate progenuisse; &c. — Verùm hæc obiter monere visum est, ut docerem, contemptis & abjectis honesti regulis, acerbas de rebus parvis disputationes, nec tributi levamentum, nec morum decus orbi Christiano allaturas.

JOH. FRANC. BUDEUS,

*Theologus Jenensis Celeberrimus, Præf. ad  
Dissertat. Theolog.*

Scandala, quæ quis falsâ doctrinâ præbet, non in minimis pono. At, fingere scandala, ubi nulla sunt, vel levissimum in rebus ad fundamentum Fidei non spectantibus dissensum pro scandalo venditare, nefas puto. Immò hi ipsi scandalum sæpiùs maximum præbent, suarum itidem actionum rationem coram tribunali Servatoris reddituri.

CHRIST.



CHRIST. MATTH. PFAFFIUS,

*Theologus Tubingensis prestantissimus*, Dissert. Thet.  
de Fidei Christianæ articulis Fundamenta-  
libus, *Obs. I.*

Articulos Fidei necessarios creditu atque fundamentales definire, jus Divinæ majestatis proprium est atque reservatum. Hinc nullum dogma pro Articulo Fidei Fundamentali venditandum est, nisi quod necessarium creditu esse ipse Deus in Sacro Codice, sive expressis verbis, sive per legitimam consequentiam, declaraverit. *Nota.* At verò, si solius divinæ autoritatis hoc est, Articulos Fidei condere, profectò summæ temeritatis res est, quemlibet, à nobis qui dissenserit, orco addicere, aut res dubias atque obscuras, quæ & ad fundamentum Fidei haud pertinent, tanquam tales, Christianis imponere, atque anathematismis in eosdem furere.

Ibid.

Quod enim nosmet ipsos spectat, tutissimum est, quemvis errorem, tanquam mortem nobis iste adferret, vitare. Ast, ubi de aliis pronunciandum est, in mitiorem partem utique ut descendamus, ipsum Domini exemplum nos jubet, qui Apostolos suos in Articulis Fundamentalibus errantes, hætenus toleravit, donec major ipsorum oculis lux allaberetur.

Ibid. *Observ. II.*

Ad Articulum Fidei Fundamentalem pertinet I. ut in Tabulis Sanctoribus creditu cognitúque necessarius esse haud obscure affirmetur. II. Ut evidenter in iisdem expressus conspiciatur. III. Ut à quovis homine, indocto quoque & illiterato capi possit, &c. *Nota.* Et hinc conspicere est, omnes eos Articulos, qui in meris abstractionibus scholasticis consistunt, & absque terminis philosophicis, quos vulgus haud capit, proponi nequeunt, fundamentum fidei haud tangere. Unde rectè, si, unquam, *Samuel de Pufendorf*, in *Jure Fecial. Div. sive, de Consensu & Dissensu Protestantium*, ubi & Systema exhibuit, in



quod omnes Protestantes consentire possint, in hanc sententiam p. 233. fatur: *In Articulis Fidei tutius est simplicitatem sequi, quam ingenio confectandis argutiis indulgere.* Quod cum ita sit, pessimè fecere, qui philosophicam subtilitatem scholasticasque ideas, ad Religionis placita enarranda, perverso instituto, attulerunt. — Sed ais, omninò scholasticis rerum explicationibus indulgendum esse, tum ut Hæreticorum strophis obvies, tum ut quæ obscura sunt, maximè Mysteria, luce tuâ dones. At quod primum attinet, vereor, ut his armis technas malè sapientium jugules &c. Etenim si scholasticum in campum precesserimus, ubi ligneis utraque pars armis militat, non fieri aliter potest, quàm ut pugnantes ambo acie ita excedant, ut, licèt utrinque plagæ accipiantur, tamen (supponimus Homines eadem, ex utraque parte, eruditione & facundiâ pollentes) vincat nullus: quod & observavit Vir judiciosissimus S. à Pufendorf, in *Jure Fec. Div.* §. 9. p. 33. 34. Arma militiae nostræ non sunt carnalia, adeoque nec Scholastica, sed spiritualia, & consistunt, non in subtilibus humanæ sapientiæ sermonibus, sed in demonstratione Spiritûs, 1. Cor. II. 4. 2. Cor. X. 4. Hinc & disputationibus res Christiana parùm hæctenus promotâ fuit. — Quod verò porrò dicitur, Mysteriis hæc terminorum adinventionem diem affundi posse, id Virorum Doctissimorum pace negamus, arbitramurque, eos, quod & nuper in *Primit. Tubing.* P. 2. p. 47. affirmavimus, non ex fumo lucem, sed ex fulgore potiùs fumum dare. — Quidni potiùs hinc in *Βάθος* Paulinum *παρακλίπεις*, qui nôsti, datâ operâ Deum scientiæ nostræ, Mysteria quod attinet, limites posuisse, quos migrare nefas sit, alterique ævo theoriam reservâsse, huic praxin injunxisse, quam quæ spectant, effata sanctiora omnia clarissima sunt.

Ibid. *Observ.* VIII.

Quorum Dissensus fundamentalis est, illi iisdem Sacris uti nequeunt. At quorum dissensus non est fundamentalis, illi eandem communionem Ecclesiasticam constituere, non modò possunt, sed etiam tenentur. *Nota.* Canon iste nonnisi ab iis, qui inimici Pacis sunt, atque litium amantes, negari potest. Queis verò omnibus velimus dici id, quod Demophilo dixit Theodosius; *Si Pacem & concordiam fugis, te quoque ex Ecclesiis fugere jubeo*, apud Socratem, in *Hist. Eccl.* Lib. V. Cap. 17. quod & Apostoli monitum est, *Hereticos*, sive sectarios homines, esse fugiendos, Tit. III. 10. Unde & *Hæresis*, hoc est sectæ  
stu-



studium , inter opera carnis refertur, Gal. V. 20. Id quod velim utique probè ut ponderent, qui nullum Fratrum dissensum ferunt.

Ibid. *Observ.* IX.

Non datur ulla particularis Ecclesia, quæ, in Articulis minùs necessariis, se haud falli subinde, firmiter asseverare possit; certumque prefectò hoc est, Thraasonismis hîc vulgum nimis indulgere. Quin, si Apostolus affirmat, *scientiam nostram imperfectam esse*, seque ipsummet, qui & divino præcipuoque lumine collustratus erat, *nondum consummatum esse*, quid est, quod nos dicamus, *Saturati sumus, divites sumus, regnamus*, privilegiumque Infallibilitatis nobis arrogemus, quod in Ecclesiâ Romanâ detestamur? *Observ.* X. Hinc non absque ratione nuper scripsimus, *Prudentiæ rem esse, ut de se quævis Ecclesia modestè, de alterâ, quantum id fieri quidem, salvâ veritate, possit, mitiùs sentiat, unaque alteram suo jure, prout id in Rebus publicis liberis fieri soleat, penitus frui permittat.* Ex quo perspicere est, longè absurdissimæ rem operæ esse, si una in alteram anathematismis execrationibusque sæviat. Quin & excommunicationibus severioribus dirisque in eos, qui bonâ fide errant, agere, atque, vi admotâ, aliam ipsis fidem injungere; inconsulti zeli pessimus est effectus.



T E S



# TESTIMONIA

*quædam insignia LUTHERI & DOCTORUM  
LUTHERANORUM, pro Concordia  
inter ipsos & Reformatos  
instituenda.*

LUTHERUS,

*Epist. ad Helvetios.*

*Magnificentissimis ac Prudentissimis Dominis Coss. Senatui ac  
Populo Urbium TIGURI, BERNÆ, BASILÆ,  
SCHAFFUSII, SANGALLI, MULHUSII & BIE-  
LÆ, Dominis suis reverenter colendis.*

**G**RATIAM & Pacem in Christo, Domino ac Salvatore no-  
stro. Diuturniorem responsioni meæ, ad Literas vestras Smal-  
caldam missas, interposui moram; quam equidem excusarem,  
sed spero minùs hoc apud vos esse necessarium, ut quos non fugiat,  
quanta mihi viribus exhausto seni quotidie incumbant onera: quæ  
tanta sunt, ut etiam vi quâdam memet ipsum & hominibus &  
negotiis suffurando, tandem ad hanc responsionem absolvendam ac-  
cesserim.

Literas verò vestras ex morbo recreatus perlegi: Et primò quidem  
summo affectus sum gaudio, quòd vidi, vos, sepositâ omni priori  
acerbitate, atque inter nos & Concionatores vestros obortis suspicio-  
nibus, concordiam ferè amplecti & promovere, animum induxisse.  
Deus omnis concordie ac dilectionis auctor, cœptum hoc opus piè  
ac salutariter perficiat, sicuti scriptum est; *Cùm placuerint Domino viæ  
hominis. inimicos quoque ejus convertet ad pacem*, Prov. XVI. Certum  
verò



verò est, haud facilè, & absque cicatrice sanari tantum diffidium non posse. Erunt enim tam hoc quàm illo loco, quibus concordia displicitura, imò suspecta etiam futura est. Si verò utrinque seriò rem agamus, diligenterque instemus, Deus Pater Domini nostri Jesu Christi suâ gratiâ nobis aderit, ut ipso tempore offensiones apud alios tollantur, & turbata aqua paulatim subsidat.

Amanter itaque M. V. rogo, seriò dent operam, quò tam apud vos, quàm apud vestros, vociferatores illi, qui adversus hanc nostram concordiam debacchantur, à suis clamoribus abstineant, populumque simpliciter doceant, & hoc totum concordiaë negotium illis curandum relinquunt, qui ad hoc vocati & idonei sunt, neque illud impediunt: ut & nos vicissim, tam in scriptis, quàm in concionibus, tranquillitati & moderationi operam dabimus, & ab ejusmodi clamoribus adversus vestros temperabimus, ne ullam impediendæ concordiaë occasionem præbeamus: quam & nos ex animo videre cupimus, ejusque promotionem Domino vovimus. Nam certè satis abundè fuit hæcenus clamorum, & digladiationum, si iis aliquid promoveri debuisset.

In primis verò id oratos vos velim, ut de me vobis omnia ea polliceamini & statuatis, quæ de eo, qui & ex animo erga hoc negotium sit affectus, & in quo nihil eorum ( quantum quidem in me erit ) quæ ad concordiam promovendam faciant, desiderari queat. Hoc Deus ipse novit, quem in animam meam testem appello. Nam diffidium hoc neque me, neque alium quemquam juvit, sed damni multum multis attulit; ut nihil inde unquam utilitatis & boni sperari, vel olim potuerit, vel deinceps possit.

Ad vestros itaque ut veniam Articulos, in primo, de *Ministerio verbi*, nihil desidero: &c. — Et si quid in hoc capite ex mutuis, vel vestris, vel meis scriptis, non satis intelligatur ( unâ siquidem linguâ, unôve loquendi modô omnes uti nequimus ) *Capito* & *Bucerus* omnia perspicuè ac planè mitigabunt, & quàm fieri potest, omnium optimè declarabunt. Id quod omninò mihi de ipsis spondeo atque polliceor; ut & huc usque deprehendere aliter non potui, quàm ipsos hac in parte officium sedulò diligenterque fecisse.

Similiter quoque in Articulo secundo de *Baptismo*, nullam video diversitatem, &c.

Tertius Articululus, de *Sacramento Corporis & Sanguinis Christi*; neque nos unquam docuimus, nec etiam nunc docemus, quòd Christus coelitus à dextera Dei, visibiliter aut invisibiliter descendat vel ascen-

H

dat,



dat. Fidei Articulo constanter infistimus, qui talis est; *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, unde venturus est, &c.* Quâ verò ratione, & modo Domini Corpus & Sanguis in Cœna nobis offeratur, cùm videlicet juxta ipsius verbum convenitur, & ipsius celebratur institutio, divinæ potentiæ commendamus & relinquimus. Nullius hîc, vel ascensûs, mentionem facimus, sed verbis Domini simpliciter inhæremus, quæ sunt, *Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus.* Verùm (uti supra etiam dictum est) si hîc nondum plenè nos mutuò intellexerimus, illud nunc commodissimum ac utilissimum sit, ut nos nobis invicem amicos præbeamus, & optima quæque de nobis invicem speremus, donec multis contentionibus turbata aqua paulatim subsidat, &c.

*Bucerus* quoque & *Capito* his in rebus omnibus consulere facilè poterunt, dummodò animis mutuò conjunctis omnem offensionem remittamus, Spiritui Sancto locum relinquamus, & in pia ac fraterna concordia perficienda elaboremus. Ad nos certè, & nominatim meam personam quod attinet, omni offensione remissâ, summa fide, benevolentia, atque amore vos complectar. Uutut enim nos, qui concordiam hanc seriò urgemus, summa quæque conemur, præclaro tamen Dei auxilio consilioque indigemus. Satan enim tam nostri, quàm concordia odio flagrans, suos quosdam facilè inventurus est, qui tantum non scrupulos, sed trabes ac rupes, objicient, ut non necesse sit, nos etiam mutuis offensionibus ac suspicionibus indulgere; Quin potius animos manusque invicem porrigamus, & pari etiam fide atque constantiâ perseveremus, ne posteriora aliquando prioribus deteriora evadant.

De *Excommunicatione* aut *Clavibus* non memini unquam certamen aut diffidium aliquod inter nos exortum esse: in quo capite vestras Ecclesias etiam rectiùs ac meliùs quàm nostras constitutas esse crediderim. Si igitur reliqua talia sint, qualia optamus & volumus, concordia, hac in parte, Dei beneficio, nullas moras aut impedimenta experietur. Amen.

Hæc in præsentia ad Literas vestras brevissimè respondere volui, quæ ut in bonam accipiatis partem, amanter rogo atque oro. Cerebrum enim meum tanta cogitationum & occupationum mole quotidie obruitur, ut singulas res non ita tractare aut eloqui possim, ac si una aut altera solummodò mihi incumberet. His M. V. omnes unà cum vestris, Deo, omnis misericordiæ & consolationis auctori, commendo: qui sui Spiritûs gratia efficiat, ut corda nostra in dilectione  
Chri-



Christiana bonoque proposito conglutinentur, omnesquæ humanæ ac Diabolicæ malitiæ & suspicionum spumæ ac scorix expurgentur : ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui multarum animarum salutem, Diaboli verò & Papæ, omniumque qui eum sectantur, perniciem. Amen. Prima Decemb. Anno 1537.

MARTINUS LUTHERUS.

*Altera ad Eosdem Epistola.*

AMPLISSIMI, AC PRUDENTISSIMI VIRI, Domini & Amici, colendi, Redditæ mihi sunt vestræ 4. Nonarum Maij datæ Literæ, ex quibus non sine singulari animi voluptate vidi omnium vestrum mentes ad concordiam jungendam promptas atque paratas esse. Ex meis quoque de hoc negotio scriptis, invicem id quoque vobis auditu pergratum fuisse intellexi, quòd apud nos non statuitur ascensus & descensus Christi in Sacramento, & nihilofecius, vera Corporis & Sanguinis Christi sub pane & vino præsentia, ac sumtio, asseritur. Si quæ autem per Epistolam explicari satis dilucidè non potuerunt, spero *Bucerum & Capitonem* ea omnia coràm meliùs declaraturos esse. Id enim ut facerent rogavi, totumque negotium ipsis commisi. Cùmque nullum mihi sit dubium, plebeculam vestram admodum esse piam, & boni rectique percipientem, multum certè ea re exhilaror, in eamque spem erigor, ut si qua adhuc subsit remora, etiam illam, moderatè & commodè cum simplicioribus agendo, superari posse; & prorsus persuasum habeo, Dominum suâ gratiâ nobis affuturum esse, ut, omnibus suspicionibus sublatis, constans aliqua concordia inter nos coalescat. Amen.

Si quos autem, scriptis ipsorum permotus, suspectos adhuc habeam, *Bucero* totum illud retuli, & quoad ejus fieri ullâ ratione potest, feram ipsos, & in bonorum numero tantisper eos censebo, donec ipso tempore etiam adducantur. Proinde rogo atque oro, ut quemadmodum cœpistis, porrò etiam omni studio in id incumbatis, ut pium hoc opus, propter Ecclesiæ pacem & tranquillitatem susceptum, ad optatum finem perducatur. Id quod vos summâ voluntate facturos esse, planè mihi spondeo atque polliceor. Deus, omnis misericordiæ Pater, diviti & opulentâ sui Spiritûs gratiâ, in hoc opere ad ipsius gloriam inchoato vos confirmet atque conservet, per filium suum dilectum Dom. nostrum Jesum Christum; Amen. Die Jovis post. Joh. Bapt. Anno 1538.

H 2

Idem



**Idem, Præf. in Confessionem Fidei Fratrum Bohemorum,  
sive Valdensium ; quos tamen constat, & in articulo de Cœna  
Domini, & in variis Ritibus, à Luthero dissensisse.**

Sed nunc prodeunt non paulò cultiores & liberiores, ne dicam etiam illustriores & meliores, ut sperem non ingratos non inamabiles fore omnibus verè Christianis, ita ut & gratias nos agere oporteat quàm maximas Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm divitias gloriæ suæ jussit è tenebris splendescere lumen hoc Verbi sui, quo denuò in nobis destrueret mortem, & illuminaret vitam; & gratulari tum illis, tum nobis, quòd qui inter nos ipsos quoque longè abfuimus, destructo nunc intersticio suspitionis, quâ nobis mutuò hæretici videbamus, facti sumus propè, & reducti simul sumus in unum ovile sub unum illum Pastorem & Episcopum animarum nostrarum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Quòd si quæ differentiæ in hac eorum Confessione occurrent, de ritibus & ceremoniis, vel de cœlibatu, meminerimus nunquam fuisse, neque potuisse omnium Ecclesiarum omnes ritus & observationes esse æquales vel easdem. Id enim non permittunt hominum, regionum, temporum rationes & varietates, modò salva sit doctrina Fidei & morum. — Commendo igitur in Domino omnibus piis & hanc Confessionem Fratrum, in qua videbunt clarè, quantâ injuriâ hæctenus à Papistis fuerint damnati & vexati.

**Idem, Defens. τῶ ῥητῶν verborum Cœnae.**

Hic stant verba illa, & clarè & expeditè sonant, quòd Christus suum corpus dat ad comedendum, cùm panem porrigit. Nos etiam super hoc immobiles consistimus, firmissimè credimus, disertè sic docemus, quòd in Cœna Dominica verè Christi Corpus accipiatur & comedatur. Quomodo autem hoc fiat, & quomodo sit in pane, id ingenuè fate-mur nos ignorare, nec quidem scire debemus. Verbo Dei credere tene-mur, modum verò præscribere, & metam figere, id nobis omninò est interdictum. Panem cernimus oculis, auribus verò audimus Corpus Christi adesse.

**Idem,**



Idem , in *Catechismo Minori*.

*Quest.* Quid prodest sic comedisse & bibisse ? *Resp.* Id indicant hæc verba , *Pro vobis datur* ; item , *Effunditur in remissionem peccatorum*. In hoc enim Sacramento , Remissio peccatorum , vita & æterna Beatitudo nobis per illa verba donantur : Remissionem enim peccatorum Vita & Beatitudo necessariò comitantur. *Quest.* Quomodo potest illa corporalis manducatio tantas res conficere ? *Resp.* Edere & bibere , sine dubio , ista nunquam poterunt. Sed verba hæc , *Pro vobis datur* , item , *Effunditur in remissionem peccatorum*. Hæc enim verba sunt potissima hujus Sacramenti pars , & ceu caput , quibus qui credit , ille omnia eâ consequitur , quæ promittunt , nempe remissionem peccatorum.

Idem , *Postilla in Festo Corp. Christi Joann. VI.*

*Caro mea verè est cibus , & sanguis meus verè est potus.* ) Hoc edere & bibere aliud nihil est , quàm credere in Dominum Christum , qui carnem & sanguinem meo nomine impendit , quò me à peccato , morte , satana , inferno , & omnia infortunio assereret. — Quo- circa hæc esitatio corde peragitur , non ore ; esus cordis non fallit , sed manducatio oris fallit ; comestio , quæ ore fit , finem habet altera autem æternum durat. Siquidem cor fide in Christum continenter pascitur & alitur. — Cæterùm quòd hic germanus hujus Evangelii sensus sit , videlicet quòd de spiritali esu & potu intelligendum sit , verba urgent quæ Dominus in fine hujus capituli dicit : *Spiritus est qui vivificat , caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor , spiritus & vita sunt.* Quibus verbis Christus significat , corporalem esum & potum nihil prodesse : sed credere hanc carnem Filium Dei esse , qui merâ gratiâ de cœlo descendit , & pro me sanguinem suum fudit , hoc prodest , & vitam dat. Proinde Filii Dei carnem esse , & sanguinem ejus bibere , ut dictum , aliud nihil est , quàm credere suam carnem pro me traditam , & sanguinem suum pro me fusum ; & quòd in meum commodum devicerit peccatum , mortem , Satanam , inferos , & omne malum. Ex tali fide postea ingens in ipsum fiducia incessit , & ferocula quædam animositas contra omne infortunium , ut in posterum nihil quicquam mihi formidini sit , neque peccatum , neque mors , cacodæmon , aut inferi : quandoquidem sciam illa omnia



Dominum meum pedibus suis subjecisse, & in meam gratiam triumphasse. Hoc spiritualis & non carnalis manducatio efficit. Spiritualis & intima esitatio, quæ corde fit, efficax est; non externa, quæ in Sacramento fit. Etiam atque etiam cave, ne sufficere credas, si extrinsecus corpore & sanguine Christi pascaris in Sacramento. Quemadmodum non satis est, si equo pictam avenam adponas, ut inde pascatur, & pro vera avena habeat: hac certè non pascitur, sed veram avenam habere vult. Non dissimiliter & hîc fit. Quanquam Sacramentum verus cibus sit; verùm qui illum corde non accipit per fidem, huic nihil prodest: siquidem neminem justum aut fidentem facit, sed requirit ut jam antea justus & fide præditus sit. Quapropter si creditur, Christum verum Filium Dei esse, de coelo descendisse, & sanguinem suum fudisse, tum quòd me salvum, justum, & vivum fecerit, satur sum, & hoc cibi ritè accepi. Sic ego in illum cibum mutor, & vicissim cibus in me mutatur, uti cum corporeo cibo agitur. Hoc ipsum Dominus innuit, quum inquit: *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Siquidem quum in Christum credo, tum demum verè carne ejus vescor, & sanguinem ejus bibo; in eo maneo, & in unam placentam cum eo coalesco. Quid autem est in Christo manere, & unum libum cum eo esse? Nihil aliud, quàm quòd omnia ejus bona habeo, quæ ipse possidet, ejus justitiam, sapientiam, vitam, & omne genus virtutum: hæc mea sunt, hisce ego uti possum, non secus ac privis bonis. — Est igitur hæc totius hujus Evangelii summa: Si ex corde & seriò credis, Christum hominem factum peccata tua in se transtulisse, infernum devicisse, mortem jugulasse, omnia quæ te lædere possunt absorpsisse, téque Deo Patri reconciliasse, carnem ejus edis, & sanguinem ejus bibis, unde vitam æternam habes.

Idem, *Postilla in Feriâ Quarta Pentec.* Joan. IV.

Patet igitur jam, qui fidem habet huic cœlesti pani Christo, carni ejus & sanguini, de quo hîc loquitur, data ei esse, ut proprium quiddam, & eâ ut re propriâ utatur, hic jam voluntatem Dei perfecit, & de hoc cœlesti pane edit. Sicut Augustinus ait; *Quid paras os? crede, & manducasti.*

Idem



Idem in MS, quod exstat in *Collegio Corporis Christi,*  
*Cantabrig.*

— Nam & ego hoc diffidium vellem ( testis est mihi Christus meus ) redemptum non uno corpore & sanguine meo : Sed quid faciam ? Ipsi fortè conscientiam bonam capti sunt in alteram sententiam. Feramus igitur eos. Si sinceri sunt , liberabit eos Christus Dominus. Ego contra captus sum bonam certè conscientiam ( nisi ipse mihi sim ignotus ) in meam sententiam. Ferant & me , si non possunt mihi accedere.

## M E L A N C H T H O N I S

*animus pacificus , & ardentissimum Concordiæ studium , in vulgus ita nota sunt , ut probatione non indigeant. Non possumus tamen , quin insignia quædam loca speciminis loco proferamus.*

*In Scripto de Dissensionibus Ecclesiasticis , ad Virum Nobiliss. Guiliel. Bellaium Langæum , Regis Galliæ in Germania Legatum , An. 1534. cap. de Missa.*

Ego quid hinc consulam , nescio , cum adhuc inter nostros sint dissensiones de Coena Domini. Bucerus moderationem quandam Zuinglianæ sententiæ proposuit. Ea moderatio mihi quidem non displicuit , sed culpam hujus turbulenti sæculi factum est hætenus , quo minus nostri de tota re prorsus inter se convenerint : sed annituntur modò aliqui , ut solida inter nos concordia constituatur , præsertim cum hoc diffidium maximè deterreat ab Evangelio exteras nationes. Christus adjuvet nos & redigat Ecclesiam suam in piam & justam concordiam.

Idem , *Epist. ad D. Benedictum , ceterosque Fratres Waldenses in Bohemia ; Anno 1535.*

Gratia & Pax , &c. Existimo , vir Eximie , Fratres tuos in hoc nostro congressu , in multis rebus melius meam sententiam cognovisse & perspexisse quam olim : ego quoque videor mihi res vestras percipisse ,



cepisse. Quare cùm de præcipuis Articulis Doctrinæ Christianæ inter nos constet, complectamur nos mutuo amore. Neque dissimilitudo & varietas rituum & ceremoniarum disjungere debet mentes nostras. Sæpe Paulus concionatur de cæremoniis, & prohibet Christianos dissidere propter varietatem rituum & ceremoniarum, quamvis mundus vehementer propter ceremonias pugnet.

Severius exercitium, seu Disciplina in Ecclesiis vestris profectò non malè mihi placet. Utinam in Ecclesiis nostris quoque paulò severior possit obtineri. De meo animo erga vos ita sentiatis, me vehementer optare ut hi, qui Evangelium amant, & nomen Christi glorificari cupiunt, mutua charitate sese prosequantur, atque ita doctrinam suam communibus studiis ad gloriam Christi referant, ne se ipsos mutuis & domesticis odiis seu discordiis perdant, præsertim propter illas res, de quibus tumultuari non est necesse.

Idem, Epist. ad *Bullingerum*.

Fortassis priusquàm hæ meæ Literæ ad te perferentur, accipies atrocissimum Lutheri scriptum, in quo bellum *περὶ δείπνης κυριακῆς* instaurat. Nunquam majore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare Ecclesiarum pacem. Tollent cristas inimici nostri, qui defendunt *εἰδωλα* Monachorum, ac rursus Ecclesiæ nostræ distrahentur. Qua ex re ingentem capio dolorem. Nam privato periculo, quod nunc mihi impendet, etsi non est leve, tamen tantum non moveor, quantum Ecclesiarum nostrarum, & Literatorum distractionibus.

Idem, *alia Epist. ad Eundem*.

Nos tamen reliqui foveamus consensum & animorum conjunctionem inter nos, nec magis divelli nostras Ecclesias sinamus. *Non tam*, inquit Basilius, *sinistræ opus est dextrâ, quàm Ecclesiæ concordia docentium*. Faciliùs accendi & retineri bonorum studia, & majore gravitate disciplina qualiscunque defendi potest, si Doctores & in docendo consentient, inter se benevolentiam mutuam conjuncti erunt. Ideò quantum possum, astringere nostram conjunctionem, non dissipare velim. Hæc simplici animo & candidè scribo, teque rogo, ut de voluntate tua rescribas.

Idem



Idem , Epist. ad *Vitum Theodorum*.

Scio me rideri à multis, & facilè fero. Sed vellem, & illos, & alios introspicere meum cor : si tantùm lachrymarum fundere possem, quantùm undarum noster Albis pleno vehit alveo, non posset exhauriri meus dolor, ortus ex hâc dissensione, &c.

Idem , in *Judicio de Controversia Heidelbergæ in negotio Cœnæ Dominicæ excitata*, anno 1559.

Non difficile, sed periculosum est respondere. Dicam tamen quæ nunc de controversia illius loci monere possum, & oro Filium Dei, ut & consilia & eventus gubernet, Non dubium est, de controversia Cœnæ ingentia certamina & bella in toto Orbe terrarum secutura esse; quia mundus dat pœnas Idololatriæ & aliorum peccatorum. Ideò petamus, ut Filius Dei nos doceat & gubernet. Cùm autem ubique multi sint infirmi, & nondum instituti in doctrina Ecclesiæ, imò confirmati in erroribus, necesse est initio habere rationem infirmorum. Probo igitur consilium Illustrissimi Electoris, quod rixantibus utrinque mandavit silentium, ne distractio fiat in tenera Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & vicinia; & optarim rixatores in utraque parte abesse. Secundò, remotis contentiosis, prodest reliquos de una forma verborum convenire. Et in hac controversia optimum esset retinere verba Pauli; *Panis quem frangimus κοινωνία ἐστὶ τῆς σαρκός*. Et còpiosè de fructu Cœnæ dicendum est, ut invitentur homines ad amorem hujus pignoris, & crebrum usum. Et vocabulum *κοινωνία* declarandum est. Non dicit mutari naturam panis, ut *Papistæ* dicunt. Non dicit, ut *Bremenses*, panem esse substantiale corpus Christi. Non dicit, ut *Heshufius*, panem esse verum corpus Christi; sed esse *κοινωνίαν*, id est, hoc quò fit consociatio cum corpore Christi, quæ fit in usu, & quidem non sine cogitatione, ut quum mures panem rodunt. Acerrimè pugnant *Papistæ*, & eorum similes, ut dicatur corpus Christi extra sumptionem inclusum esse speciebus panis, aut pani, & postulant adorationem; ——— *Sarcerius* jubet delapsas particulas colligi, & erasâ terrâ comburi. Cùm *Wormatiæ* essemus ante biennium, quæstio mittebatur ad nos ex Aulâ quadam; An corpus Christi descendat in ventrem? Talibus prodigiosis quæstionibus rejectis, utilius esset retineri formam verborum Pauli, & de fructu  
I rectè



rectè doceri homines. Potest inspicere forma verborum Cœnæ in Examine Megalpurgenſi, ubi & commonefactio eſt de fructu Cœnæ. Adeſt Filius Dei in Ministerio Evangelii, & ibi certò eſt efficax in credentibus, ac adeſt non propter panem, ſed propter hominem, ſicut inquit, *Manete in me, & ego in vobis.* Item, *Ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Et in his veris conſolationibus facit nos ſibi membra, & teſtatur, ſe corpora noſtra vivificaturum, eſſe. Sic declarant Veteres Cœnam Domini. Sed hanc veram & ſimplicem doctrinam de fructu, nominant quidam cothurnos; & poſtulant dici, An corpus ſit in pane, aut ſpeciebus panis? Quasi verò Sacramentum propter panem, & illam Papifticam adorationem inſtitutum ſit. Poſtea fingunt, quomodo includant pani: Alii conversionem, alii tranſubſtantiationem, alii ubi-quitatem excogitârunt. Hæc portentosa omnia ignota ſunt eruditæ Ve- tuſtati: Negat Heſhuſius ſe aſſentiri *Origeni*, qui panem & vinum nomi- nat *ſύμβολα τῆς ſώματός καὶ αἵματος*. Rejicit contumelioſè *Clementem Alexandrinum*: Pronuntiabit eodem modo de *Auguſtino, Ambroſio, Pro- ſpero, Dionyſio, Tertulliano, Beda, Baſilio, Nazianzeno*, qui nominat *ἀντίτυ- πον ſῶμα, Theodoreto*, quî ait de pane, *φύσιν ἔ μεταβαλὼν*. Quæ eſt igitur tanta authoritas Heſhuſii, ut ipſi potiùs aſſentiamur, quàm tot veteri- bus Scriptoribus? &c. — Ac maneo in hac ſententia, contentiones utrinque prohibendas eſſe, & formâ verborum unâ & ſimili utendum eſſe. Si quibus hæc non placent, nec volunt ad communionem acce- dere, his permittatur ut ſuo judicio utantur, modò non fiant diſtrac- tiones in populo. Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſedentem ad dexteram æterni Patris, & colligentem Eccle- ſiam voce Evangelii, ut nos doceat, gubernet, & protegat. Opto etiam, ut aliquando in pia Synodo de omnibus controverſiis horum temporum deliberetur.

*Lectis pacificis illis LUTHERI & MELANCTHONIS  
Literis, fidem haud ægrè impetrabit Narratio, quam ex  
teſtibus fide dignis non pauci referunt, atque inter alios  
Hoſpinianus, Hiſt. Sacram. ad annum 1546.*

Multi verba Lutheri urgent, quæ calor diſputationis *φιλονικοῦς* ex- primere ſolet; — diſſimulantes, aut, neſcientes forſan, ut æquum eſt de tantis Viris credere, illa quæ valedicturus Collegio Theolo- gico



gico, priusquam proficisceretur in patriam, in qua mortuus est, dixit Domino Philippo Melanchtoni, & quæis multis exposuit, quæque probari possunt testibus omni exceptione majoribus, videlicet, quòd sponte, non rogatus, in hæc verba prorupit: *Mi Philippe, fateor in negotio de Sacramento, nimium esse factum.* Et cum Philippus respondisset: *Ergo, mi Domine Doctor, ut consulatur Ecclesiæ edamus lene aliquod scriptum, in quo sententiam nostram clarò explicemus,* Lutherus subjecit; *Mi Philippe, Ego de hac re quoque sollicitè cogitavi: Sed sic redderem totam doctrinam suspectam. Itaque hoc Optimo Deo committam; Agite vos etiam aliquid post mortem meam.* Hæc ex ore Philippi excepta sunt.

*De MELANCHTONIS sententia, sic  
Calvinus ad Farellum scripsit, mense  
Martio 1539.*

Cum Philippo fuit mihi multis de rebus colloquium: De causa concordia ad eum prius scripseram, ut bonis Viris de ipsorum sententia certò possemus testari. Miseram ergo paucos articulos, quibus summam rei breviter perstrinxeram. Iis sine controversia ipse quidem assentitur: sed fatetur esse in illa parte nonnullos, qui crassius aliquid requirant: atque id tantâ pervicaciâ dicam tyrannide, ut diu in periculo fuerit, quod eum videbant à suo sensu nonnihil alienum. Quanquam autem non putat constare solidam consensionem, optat tamen ut hæc concordia, qualiscunque est, foveatur, donec in unitatem suæ veritatis nos Dominus utrinque adduxerit. De ipso nihil dubita, quin penitus nobiscum sentiat.

**SYNGRAMMA SUEVORUM,**  
*cujus Auctor censetur JOH. BRENTIUS.*

Non opinamur quemquam tam impiè sentire, qui neget Fidem sanguinem bibere, & carnem Christi edere. Sic enim ait Joan. VI: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cujus? Fidei. Nam Fides edit carnem Christi, & bibit sanguinem ejus, dum credit. Jam si Fides edat carnem, & bibat sanguinem, confectaneum est carnem & sanguinem Fidei præsentia esse: siquidem, si non essent



præsentia, non possent edi aut bibi, aut si mavis, credi: quando-  
quidem Deum ipsum edere, hoc est, credere, nemo potest, nisi cui  
Deus fuerit præsens. Impiis absens est & infidelibus, proinde nec il-  
li Deum edunt, hoc est, in Deum non credunt. Breviter, fides ut ha-  
bet Deum præsentem, si credat in Deum; ita si edat corpus, & sangui-  
nem bibat, hoc est, credat, habere oportet corpus & sanguinem præ-  
sentia. Quis autem fidei Deum præsentem facit (non enim de eâ  
nunc præsentiâ loquimur, quâ Deus omnia implet, sed quâ piis adest)  
nisi verbum? — Porro quum verbum Deum cum omnibus suis  
bonis fidei præsentem offerat, cur verbum idem non faceret in corpore  
& sanguine Christi? quando hæc nostra sunt dona, & his è mortis,  
peccati, inferni, adeoque Satanæ faucibus erepti sumus. Johannes ait,  
*sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato.* Si igitur sanguis nos  
emundat, oportet sanguinem nobis præsentem esse, siquidem res ab-  
sens non emundat. — Quid autem sanguinem nobis adferat,  
nisi verbum, non videmus. Fides, inquis, sanguinem offert nobis.  
Sed unde fides sanguinem accipit, nisi à Verbo? Fides enim non est  
Fides, nisi in Verbum directa sit. Verbum Fidei objectum est, Verbum  
Fidei offert, quicquid accipit, aut credit. — Fides rem longissimè  
pro mundi captu positam, sibi præsentissimam facit, & videt. —  
Quum corpus Christi carne nos edere adseveramus, licebit interim ut  
à tua humanitate impetremus, ne aliter quàm candidâ interpretatione  
accipias. Nam edimus corpus & bibimus sanguinem carne, non ut  
corpus Christi atteramus & frangamus, ut est in revocatione Beren-  
garii, sed panem ipsum, quâ panis est, tractamus, frangimus, edimus,  
& dentibus atterimus. Corpus autem accipimus, quâ verbum accipi-  
mus, **HOC EST CORPUS MEUM**; ut pulcerrimè quidam  
dixit, Quod edimus, intrat ventrem: quod credimus, intrat  
mentem.

Idem BRENTIUS,

*Exegesi in Joan VI.*

Non quærimus, an panis substantia mutetur in corporis substan-  
tiam, ut præter accidentia, quæ sic vocant, nihil remaneat in pane;  
nec quærimus, an in pane ita carnaliter corpus subsistat, quemadmo-  
dum ratio humana in pane corpusculum quoddam imaginari solet.  
— Itaque hoc solum quærimus, an pane & vino Cœnæ Dominicæ dis-



distribuantur & donentur fidei nostræ corpus & sanguis Christi. Hoc si comprobatum fuerit, manifestum dein erit, quare panis dicatur verè esse corpus Christi, & vinum verè esse sanguis, non duntaxat significare. Primùm igitur neminem opinor tam deploratæ fidei esse, qui eat inficias Corpus & Sanguinem Christi nostra esse dona. Nam si nobis per Christum donata est vita, si donata est Remissio peccatorum, quomodo non & corpus & sanguis donata nobis essent? — Quod si corpus & sanguis dona sunt, pro ratione igitur donorum distribuuntur fidei nostræ. At dona Dei dantur nobis credentibus per verbum, & verbi Sacramenta. Proinde ut corpus Christi nobis per verbum communicatur, ita & communicatur nobis pane Cœnæ per verbum; & ut sanguis nobis per verbum donatur, ita & nobis vino Cœnæ per verbum donatur, ——— Caro & sanguis sunt verè cibus & potus spirituales: proinde ut per verbum, ita etiam per Sacramentum, fidei offeruntur & dantur Corpus ac sanguis, ut habeat externus homo sua externa, panem, & vinum: internus verò sua interna & spiritualia, corpus & sanguinem in mysterio donata. — Corporis os accipit panem & vinum sensu, præter panem & vinum enim aliud non sentit; os Fidei accipit suo etiam sensu Corpus & Sanguinem; ut corpus habeat in Sacramento corporalia signa, & Fides spiritualia, hoc est, rem ipsam & veritatem. — Quum satis manifestum fuerit, quod Corpus & Sanguis Fidei nostræ distribuuntur per Panem & Vinum Cœnæ, videamus nunc, quâ ratione panis dicatur esse Corpus, & Vinum esse Sanguis, non duntaxat significare seu adumbrare. Nam Panem non esse ideò Corpus, quòd mutetur in Corpus, ut Papistæ somniant; aut quòd in Pane subsistat corpusculum quoddam, supra dictum est. Restat igitur, ut ideò dicatur Corpus Christi esse, quia per Panem Fidei nostræ distribuitur Corpus. Ita & de Vino dicendum erit: ideò enim Vinum Sanguis est, quia per Vinum Fidei nostræ Sanguis donatur. ——— Panis jam Corpus esse dicitur, non quia solùm significat, (sic enim abesset corpus) sed quia instrumentum & medium factum est, quo verè & præsentè Fidei nostræ corpus donatur ac distribuitur. — In Cœnâ verbo suo per panem dispensavit corpus suum Fidei Apostolorum, non corporalis carnis sensui. Proinde non erat opus, ut Apostolorum os & gula præsentiam Corporis in Pane sentirent, nec necessarium fuit, ut Panis mutaretur sensibiliter in Corpus, sed satis erat Corpus fide sentire.



ELECTORES PRINCIPES COMITES, BARONES, & SENATUS CIVITATUM Germaniæ, qui Libro *Concordiæ* subscripserunt, eumque suo nomine edi curârunt; in *Prefatione* Libri illius.

Sic ut nequaquam consilium & institutum nostrum sit, eos homines, qui ex quâdam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in Veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minùs totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster fuerit, hâc ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesiis, & Scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus) palam reprehendere & damnare: quod illi errores expresso Verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam eam ob causam hoc suscepimus, ut pii omnes de his diligenter vitandis, monerentur. Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minimè malos homines, in iis etiam Ecclesiis, quæ hætenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra Sacram Cœnam (quemadmodum ea in Ecclesiis nôstris secundùm institutionem Christi dispensatur, & juxta verba Testamenti ipsius magnâ bonorum omnium consensione docetur) evomuntur, nullo modo probant. — Quamobrem hoc nostro scripto, coram Deo & totâ Ecclesiâ testamur, nobis propositum nunquam fuisse, hâc piâ conciliationis formulâ molestiam aut periculum creare piis, qui persecutionem hodie patiuntur. (*loquuntur de Gallis & Belgis Reformatis*) Quemadmodum enim Christianâ caritate moti, in societatem doloris cum eis dudum venimus: ita à persecutione & gravissima tyrannide, quæ in miseros illos maxima exercetur, abhorremus; eamque ex animo detestamur.

## CALIXTUS

*Judic. de Controv. S. 2.*

Quum itaque quæritur de amicitia, reconciliatione, sive unione inter nos & Calvinianos, qui appellantur, redintegrandâ, considerandum



dum omninò erit , num sint illi adhuc in statu verorum Christianorum , Filiorum Dei & hæredum salutis ; an eo , sive per errores capitales , sive per nonnulla sibi familiaria & in usum recepta crimina exciderint , ut genuini Christiani , Dei Filii , Christi membra , & cohæredes regni cœlestis haberi jam non possint. Nam si posterius verum fuerit , rectè fecerimus , si eos res sibi suas habere jusserimus , nostraque societate & communione excluderimus , non tamen interim sepositâ curâ , quam errantibus in viam reducendis impendere Christianos decet. Sin ita non est , non poterit Deo placere vel probari , quod eos odimus & fugimus , & cum iis societatem inire vel colere nolumus. Nempe , si eos ille ut filios agnoscit , nos ut fratres amare debemus : si ille ad consortium regni sui admittit , nos commercio societatis nostræ excludere non decet , neque hîc in terris averfari , cum quibus in Cœlis æternum conversabimur.

Ibid. §, 11. & 12. & 36.

Hisce præmissis , ad negotium reconciliationis , & belli , quod Inter Lutheranos & Calvinianos ( liceat nunc ita appellare ) aperto quasi Marte geritur , sive sopiendi , sive mitigandi , aliquantò propiùs accedamus , & à controversia de æternâ Prædestinatione , sive Electione , initium faciamus. Principio ponimus , Deum ab Homine non requirere , ut æternum illud Prædestinationis sive Electionis decretum intelligendo penetret , & exactè capiat , sed servari posse hominem , modò ordinem , per quem in tempore ad salutem Deus nos perducit , sequatur & servet , cætera de decreto in æternitate factò minimè sollicitus : nempe Evangelium audiat & admittat , in Christum credat , desideriiis carnis repugnet & obsequium subtrahat. — §. 36. In hac materiâ perquàm difficili & perplexâ , cujusque exquisitam enodationem sub poenâ amittendæ æternæ salutis Deus à nemine exigit , qui ita versantur , ut ab unâ parte Deum peccati & exitii auctorem non faciant , ab alterâ necessitatem gratiæ agnoscant , etiamsi in cæteris nonnullis accuratius explicandis , & inter sese combinandis , utpote ab imbecillitate captûs nostri remotioribus , diffideant ; se nihilo minùs invicem mutuâ æquanimitate & caritate , ut Christianos decet , tolerare & amare & possunt & debent.

Ibid.



Ibid. §: 37.

Tranſeamus ad doctrinam de unione personali duarum in Christo naturarum. Credit autem utraque pars unum & eundem esse verum Deum & verum hominem, unam, inquam, esse personam, quæ & Deus fit & homo; sive & divinâ constet naturâ & humanâ secundum hypostasim unitis, ita ut verissimè & realissimè de Deo enunciari possit ac debeat, quòd sit homo, sit natus, passus, crucifixus, mortuus; & rursus de hoc ipso homine, quòd sit Deus, æternus, immensus, creator cœli & terræ: quòdque uni huic & eidem personæ divina competant ratione divinæ, & humana ratione humanæ naturæ, utrâque videlicet per unam personalitatem inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè, & inseparabiliter unitâ. Plura nosse vel credere, quod hunc articulum attinet, ab homine Deus, ut ad sui commercium, fruitionem & æternam gloriam eum admittat, non requirit: Quî itaque nos ab eo, ut ad nostram amicitiam & Societatem eum admittamus, plura requiramus? Imò, quomodo salvâ caritate, quam Deo & proximo, & salvo, quod divinis mandatis debemus, obsequio, odisse & rejicere possumus eum, quem Deus amat & admittit? Non tantum tribuamus nostris speculationibus, subtilitatibus, & sequelis, quas fundamento, quale modò expositum fuit, inædificamus, sæpe, sicut sunt humana, fallacibus, ut omnes, qui de earum certitudine & veritate ambigant, communionem, tum fidelium in terris, tum beatorum in cœlis, excludamus. Non hanc nobis potestatem fecit Deus, non hoc nostri voluit esse libitûs & arbitrii: nec placere ei poterit vel probari. si indebitam & illicitam usurpemus.

Ibid. §. 39.

Supereſt quæſtio, de dotibus & ſublimitate Humanæ Naturæ, ſive per ipſam unionem personalem, ſive per inſequutam exaltationem, glorificationem & ſeſſionem ad Dei dexteram, collatis, ita ut de ea in abſtracto, quemadmodum loquuntur, enunciari poſſint. Majores eſſe, quàm ut humana mens capere, vel lingua eſſari queat, omnes fatentur. Et ſi adſequi non poſſumus, quid ſcrutamur? Quare acquieſcere nolimus, niſi diſtinctam, id eſt, perfectam cognitionem adepti, ejus rei, quam diſtinctè, ſive perfectè, à nobis cognoſci non poſſe, ipſi fatemur? — Cur noſmet ipſos perplexitatibus & difficultatibus involvimus, à quibus nos Deus immunes eſſe voluit?

Ex



Experimento constare possit, si de hisce boni Christiani & fideles, quos in gratiâ Dei esse, & viam salutis rectè & feliciter ambulare, nemo dubitet, interrogentur, plurimos, imò plerosque, nihil planè responsuros, & an affirmare, vel negare debeant, ignoraturos: aut, si quid respondere conentur, vix unquam, quod ad scopum collimet, prolaturus. Fixum autem esto & firmum, propter quam ignorantiam vel errorem Deus neminem suâ gratiâ aut cœlo excludit, nos quoque caritatem, societatem, & Christiana officia subtrahere nemini debere. Qui Dei sunt amici, nostri etiam sunt; ne ipsi ejus, cujus amicos, contra quàm fieri vult, odimus, amici esse desinamus.

Ibid. §. 49.

Nunc ad ipsam illam controversiam, quæ primam Schismati causam præbuit, & perpetuum, nisi Deus avertat, fomentum præbitura videtur, & cujus ideò potissima ratio habenda fuerit, accedamus. Sacramentum Eucharistiæ multis & tetrīs abusibus ac superstitionibus hætenus apud Pontificios deformatum erat, ut vix aliud Religionis caput parem calamitatem expertum. Panem benedictum ab usu remotum, quòd nihil nisi ipsissimum Christi corpus esse crederent, adorabant, & vulgo adorandum proponebant: quin ut sacrificium propitiatorium (vocabulo hoc strictè & in formali significatione accepto) habebant & offerebant: atque adeò Missas, ut vocant, solitarias, communicantium expertes frequentissimè celebrabant: rarò autem, adhibitis communicantibus. Hisce erroribus & pravitatibus abolendis intenti erant primi Reformationis duces & auctores. Quod omninò rectum erat. Quæ est autem humani ingenii imbecilitas, quomodo id rectè fieret, non omnes in istis initiis æquè providebant. Alii igitur huc prolapsi sunt, ut existimarent abusus, quos diximus, aboleri planè non posse, quamdiu corpus Domini in Eucharistiâ præsens esse crederetur. Necessè erat abusus aboleri. Præsentiam itaque eam negare similiter necessè fore sibi persuadebant.

Ibid. §. 85.

Cæterùm — qui ex hisce difficultatibus eluctari, & veritatem præsentiae Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistiâ videre & adsequi nondum possunt, gratiâ Dei & salute non magis excident, quàm qui ne usu ipsius Eucharistiæ potiantur, per impedimenta, quæ amo-

K

liri



liri nequeunt, prohibentur. Quàm prope ad sententiam Zuinglianam accesserint *Suevi* in suo *Syngrammatè* & *Brentius* in Exegeſi ad Johannem, pridem expoſuimus: quos tamen propterea nemo gehennæ adjudicat. Dices, ſententiam illi mutarunt. Sed illos ne tum quidem, quum ita ſentirent, & priuſquàm aliter loqui inciperent, circa annum videlicet 1527. extra Dei gratiam & in ſtatu damnationis fuiſſe, facile quiſquam affirmaverit. Ne ſimus duriores in alios, quàm ſumus in noſmet ipſos aut noſtros. *Waldenſes* ſive *Picardos* Bohemiæ & Moraviæ præſentiam veri corporis in Eucharistiâ negaſſe notum eſt. De iis tamen benignè ſentit & loquitur *Lutherus*, Præfatione, quam à ſe editæ Confefſioni eorum præmiſit, Anno 1533.

Ibid. §. 87.

Si enim, nonobſtantibus controverſiis noſtris, & erroribus, quos altera pars alteri impingit, alii alios, ut Chriſtiani Chriſtianos, habeamus & tractemus, nec aliter quàm per humanam mentis difficultatibus ſuperatæ imbecillitatem errare ſtatuamus, atque ita depositis odiis, quæ animos è ſtatu ſuo dimovere, & veri cognitionem vehementer impedire ſolent, placidè inter nos conferamus & in veritatem inquiramus; ſpes eſt non modica, eam utrinque, adminiculante divinâ gratiâ, quæ manſuetis opem ferre amat, tandem inventum iri, & diſſenſiones tolli ac componi, aut ſaltem minui poſſe. Si verò in mutuis odiis, deteſtationibus, & exſecrationibus pergimus, oculi mentis obnubilabuntur, neque veritatem neque concordiam cernere poterunt.

JOH. MATTIÆ, Episc. Stregn.

*Epist. ad Regem Sueciæ.*

Inter Proteſtantes autem pacem & concordiam Eccleſiaſticam reintegrandi viam, noſtro quidem ſæculo, non adèò difficilem & arduam eſſe arbitrantur omnes tam Theologi quàm Politici, quicumque rem abſque præjudicio ſaniore mente contuentur. Nec deſunt illi ſuo officio, in promovendo & ſtabiliendo, quantum in ipſis eſt, negotio tam pio, tam pulchro, & Reipubl. Chriſtianiæ tam ſalutari & neceſſario. Nam & Principes Illuſtriſſimi, & Præſules vigilantiffimi, & Doctores piiffimi, verbis & factis vehementiam iſtam nimiam nonnul-  
lorum



lorum hominum, in disputationibus & contentionibus de rebus dubiis & abstrusis, ac minùs necessariis, averfantur, & quantum possunt retundunt, & Pacem Ecclesiasticam, Pacis Politicæ matrem, Pacis æternæ anteambulonem, multis modis restaurare satagunt. Et ne longiùs procedam, habes in Poloniâ, REX SERENISSIME, in Borussiâ, & vicinis Provinciis, Viros Evangelicos quàm plurimos, moderatione insignes & eruditione probatos, qui scriptis & vocibus pacificis amicè & sincerè compellare solent zelotas alios & intemperantiores, eosque ad pacis, charitatis, benevolentia & amoris leges dandas & accipiendas descendere, per viscera atque miserationes Domini nostri Jesu Christi, orare, & obtestari. Imò spirat jam universus propè Orbis Evangelicus sacrarum litium pertæsus, dissidiorum Ecclesiasticorum, turpissimè per Europam tot annis Ecclesiam Dei vexantium, compositionem. Nec unquam sanior pars mundi ab hoc opere victa desistet, donec turbæ Ecclesiasticæ & litigia in rebus sacris aut prorsus conflescant, aut ad Evangelii cursum, ad florentem Ecclesiæ conditionem, ad Dei gloriam & totius Orbis bonum, ringentibus frustra ingeniis rixosis, pacatiora, quod Deus clementer concedat, evadant omnia. In Te autem, \* REX CLEMENTISSIME, omnium oculi hoc nostro ævo sunt conversi: Te Caput, & velut Angelum cæterorum Principum, aspicit jam & veneratur universa Protestantium cohors: Tuum consilium, patrocinium & auxilium implorat: Te primum & ultimum, sanandis suis vulneribus in tempore nunc opportuno à Deo datum esse, certò sibi persuadet. Tibique divinâ providentiâ tot provincias cessisse & tot populos Religionibus inter se discordes subactos esse credit, ut sub Tuo Celsissimo Auspicio, cura & prudentia, per veritatis & pacis vinculum in unum coalescant. Agnoscit quidem vulnera sua Ecclesia Orthodoxa: Agnoscit & dolet distractiones suas in partes, sed tamen agnoscit hæc omnia sanabilia esse; modò sub Tuo Augustissimo imperio conveniens adhibeatur medicina, convocatis in principio, loco commodo, paucis numero Theologis, eruditione justâ, eloquentiâ piâ, prudentiâque simplici conspicuis, & moderatione ingenii ac honestate vitæ insignibus, qui, ad normam Verbi Divini, amicis placidisque inter se collationibus, negotium illud pacificatorium in timore Domini aggrediantur, & seclusis ac sepositis dubiarum & inutilium quæstionum spinis, quibus nullum non Reli-

K 2

gionis

\* Utinam id sibi dictum existiment hodierni REGES, atque MAGNATES, qui puriorum Fidem profitentur.



gionis caput hodie à nonnullis gravatur (quas tamen priora & meliora sæcula aut ignorarunt, aut sapienti consilio devitarunt, absque rixis & litibus veritatem eam, quæ secundum pietatem est, piâ & sincerâ mente, quærant, & unanimi consensu approbent. De successu operis & optato eventu dubitare non sinunt severissima Dei præcepta de Charitate Christiana, inter omnes, colenda, ejusdemque divina vaticinia, de felici, tranquillâ & gloriosâ Ecclesiæ conditione, sub ultimis his temporibus mundi, ubique in Sacris Literis obvia. Hoc autem commodi exinde in Ecclesiam redundabit, ut cum illi, qui à Religione Evangelicâ alieni sunt, quibus nunc per nostras discordias opprobrio exponitur, ne de illa discenda recipiendaque vel cogitationem suscipiant (quis enim sibi persuaderi patiatur, ut ad eos accedat, quos inter se in factiones videt esse divisos?) cum gaudio & exultatione ex variis mundi plagis ad unitatem & veritatem accurrant. Imò ipsi Judæi, qui jam horrent ad veritatem Novi Testamenti accedere, quam primum intellexerint nobis inter nos, de doctrina inde deprompta, convenire, absque ulla tergiversatione juxta Prophetias de isto populo factas, nobiscum convenient? In statum verò civilem quàm multiplices provenient fructus, si extinguatur incendium illud Religionis Evangelicum, utrique jam parti perniciosum, longum esset recensere. Ita enim Protestantes, mutuo veritatis & charitatis vinculo juncti, junctis quoque viribus & armis, feliciore contra hostes communes successu, pugnabunt, juxta vetus illud, *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maxime dilabuntur*. Docet ipsa experientia, quàm perniciosum & exitiale sit malum, in ipsis Rebus publ. discordia civium, adeoque nec magis tolerandum quàm membrorum in corpore humano inter se dissidium. Certè non fert Dux belli suos Milites, nec navis Gubernator Nautas, nec Dominus servos, animis & operis discordes: nisi enim Capiti suo sese præbeant morigeros, & junctis viribus, alii aliis subserviant, nunquam quæ suscipiunt probè succedent, aut ad optatum finem perducentur. Et quemadmodum Navis, cujus latera, prora puppisque, & Domus, cujus fundamenta, parietes, trabes, tectum & ceteræ partes, minùs firmas & fixas habent juncturas, quâvis tempestate & procellâ concutiuntur, percelluntur, & tandem ruunt; ita jure nos existimare oportet politiam nostram infirmari, subruì, & funditus subverti, si singula membra inferiora non se regenda & dirigenda submittant capiti, si non suo quæque loco sociorum & conservorum commodis sese applicent, & mutuo & subordinato consensu auxilia sua efficiant firmiora; sicut enim

non



non est ferendum membrorum cum capite dissidium, sic nec membrorum inter se distractio. Quid multis? Deus pacis, nunquam secum disconveniens, vult ut nobis inter nos conveniat, ut unum sentiamus omnes, ut unum loquamur. Te igitur iterum atque iterum, propter Dei gloriam & communem Evangelicarum Ecclesiarum salutem temporalem & æternam, omni animi subiectione oro & obtestor, REX MAXIME & Felicissime, ut non dedigneris consilia hæc Irenica, à piâ mente fidelissimi Tui servitoris profecta, clementer acceptare, & cum confœderatis Monarchis & Principibus Evangelicis, deliberationibus maturè habitis, Evangelium Pacis apud omnes promovere &c.

## P U F E N D O R F I U S ,

### Jus Fec. Divin. §. 3.

Nec ideò ea res (concordia Protestantium) pro deploratâ habenda est, quòd multi circa eam incassum operam consumpserint, ludibrio, aut aliorum insultationibus, expositi. Nam quæ rectis fundamentis nituntur, si non apud omnes, saltem apud quosdam applausum invenient, & quæ in præsens rejiciuntur, deinceps, ubi nunc prævalentes animorum labes exoleverint, æstimatores suos habebunt. Ac sine dubio Deus istis rerum conversionibus sua tempora destinavit; quæ uti cum patientiâ piis expectanda sunt, ita bonam suam intentionem declarasse fas utique fuerit, nemini noxæ, saltem quibusdam fructui, futuram.

### Ibid. §. 62.

Controversias circa personam Christi peperisse videtur humani ingenii curiositas, id mysterium plus justo ad Rationis normam exigere satagens; cùm tamen in idem, non minùs quàm alia mysteria divinæ sapientiæ, bonitatis, & justitiæ, in œconomia salutis patefacta, etiam Angelos παρακύψαι juvet. I. Petr. I. 12. seu cujus is est splendor, & augustissima sublimitas, ut etiam sanctissimi genii, intellectûs lumine longè clariori præ hominibus pollentes, id tantum velut per rimam observare audeant, ne directo ejus jubare perstringantur. Cùm tamen non minor sit quorundam hominum circa istud definiendum confidentia, quàm Medicorum circa describendas corporis humani



partes, quas, in mensâ expositas, contemplantur. Enimverò, ea litigia ultrò expiratura judicaverim, si, quod & supra monui, in hoc mysterio non ulteriùs progrediamur, quàm quò disertæ Sacrarum Litterarum assertiones vocent, aut quâ officium Mediatorium ducit. Quæ extra hos limites evagantur, in medio relinquenda, nec circa eadem definienda temerarius labor sumendus. Sed &, ob discrepantiam in methodo tradendi hunc articulum, ac in Scholasticis divisionibus, non statim hæreseos crimen ultro citròque impingendum.

Ibid. §. 63.

Altera particularis controversia Sacram Cœnam tangit; super quâ cum proximis à nato Christo sæculis parùm disceptatum legatur, ea nunc, proximo abhinc sæculo, Christianos per Occidentem acerrimè collisit. Circa quam observandum est, eam, quatenus circa modum præsentix versatur, ferè plus curiositatis quàm fructûs habere, dummodo super ipsâ Sacramenti substantiâ, ejusque fine ac usu, consentiatur. Nam modus in physicis & moralibus sæpenumero latet, atque ignoratur; & haud eo minùs fructûs, ex ritè adhibito ejus usu, provenit. Deinde & illud pro certo habendum; ipsam Sacramenti substantiam, seu quod in eo exhibetur & accipitur, non dependere à persuasionem, & credulitate seu fide hominum eodem utentium, sed à dispositione ejus; qui idem instituit: Adeoque, sive veram, sive falsam, expositionem verborum institutionis, non facere, ut corpus & sanguis Christi præsens sit, vel non sit, sed voluntatem & veracitatem instituentis. Quò possis adplicare illud, Rom. III. 3. *Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?* Sic v. g. si alicui ignotum cibi potûsque genus proponatur, utut hic diversam de eo opinionem sibi conceperit, quàm id reverâ est, is cibus tamen aut potus ideò non alteratur, aut mutatur; ac idem non accipit id, quod sibi persuasit, sed quod ab hospite eidem propositum fuit. Ita, quanquam ad fructum hujus Sacramenti plurimùm intersit, quâ persuasionem quis imbutus ad isthoc participandum accedat, ea tamen persuasio sive ampla nimis, sive justo tenuior, substantiam ejusdem haud immutat. Ex quo consequitur, ab iis, qui Sacramentum hoc integrum juxta institutionem Christi celebrent, idem quoad substantiam accipi, nec plus nec minus, utut de invisibili re diversa sentiant; eoque in Sacrà Cœnâ apud Lutheranos non plus, quàm apud Reformatos, nec apud hos minùs, quàm apud istos, accipi. Sic ut non  
opus



opus sit circa hunc Articulum ita acriter disceptare. ——— Cui sententiae ( *Lutheranorum* ) stabilien-  
dæ non opus est ad omnipræsentiam  
carnis Christi confugere, quam si quis ita crudè statuere velit, conse-  
cutum esset, ut cum omni cibo ac potu corpus Christi ederetur, & san-  
guis biberetur, ne de aliis absurdis tangam.

Ibid. §. 60.

Hoc igitur Systemate, quod rudi minerva delineavimus, ———  
contineri arbitramur omnes fidei Articulos ad salutem necessarios, ita  
ut nullus eorum negari, aut in dubium vocari queat, quin tota Fidei  
catena abrumptur, corpusque doctrinæ Christianæ mancum redda-  
tur. Putamus isthoc systema ita esse perspicuum, ut abs quovis totus  
ejusdem contextus facilè comprehendi & memoriâ teneri queat, simul  
ratio Articulorum, eorumque inter se connexio cuivis adpareat. Nec  
dubium est, quin si universi Protestantes in id consentire velint, quod  
quare fieri non possit, ego nullam idoneam rationem dispicio, mul-  
tæ controversiæ ultrò collapsuræ, ac via ad concordiam, & unionem,  
non parum inde promovenda sit. Non autem ideò isthoc systema  
mutilum est habendum, quòd quæstiones de Gratiâ & Prædestinatio-  
ne, datâ operâ, sicco, quod dicitur, pede transferimus. Cujus rei  
causa fuit, quòd tale Systema invenire cordi nobis fuit, in quod utra-  
que Protestantium pars facilè consentire posset. ——— Præsertim  
cùm observemus, Christum & Apostolos, initio prædicationis suæ, de  
hoc dogmate Prædestinationis, nullam planè mentionem, in progres-  
su autem, parcam admodum, fecisse: quod tamen conveniens fuif-  
set, si absolutum aliquod decretum fundamentalis propositionis locum  
in Systemate Theologiæ subire debuisset. Ac sufficere modestiæ studio-  
so Christiano poterat, iis acquiescere, quæ Deus in tempore revela-  
vit, & ad ordinem ab hoc præscriptum sese attemperare, nec dubitare,  
quin promissus à Deo istorum affectus certò in ipso sit implendus: ad  
secreta autem Dei consilia non irrumperè, eaque cum revelatâ volun-  
tate committere.

Ibid. §. 65.

Qui superiore seculo ad repurgandam ab erroribus & abusibus Pon-  
tificiis Religionem incubuerunt, ut opinionem meriti humani, circa  
æternam salutem, eo fortiùs destruerent, ad sententiam Augustini re-  
voluti



voluti sunt, ac inter eos ipse Lutherus, velut Augustinianæ disciplinæ alumnus; cui sententiæ à nonnullis dicta admodum *φορτικὰ* adpersa sunt, non malo, ut credere humanum est, animo, sed ut circa salutis negotium, omnem vim humanis viribus ac meritis detraherent, eamque unicè divinæ gratiæ vindicarent. Et crediderim istos ab initio haud prævidisse, quantum absurdarum aut durissimarum consequentiarum, ex istis ita crudè positis, eliciendum, aut ultrò promanaturum sit.

Ibid. §. 92.

Fortasse quoque non inficias iverim, apud multos nostratium Theologorum deprehendi calidum nimis zelum, & à scientiâ & discretionē destitutum, quo agitati sæpe in dogmata debacchantur, quæ ipsi solidè non intelligunt, & adversus quæ odio, per alios, ipsis non sapientiores, indito, flagrant: aut qui saltem controversias ita tractant, ut, magis ad eas in æternum alendas materiam conferre, quam circa easdem imminuendas operam navare, videantur.

Ibid. §. 94.

Interim id quammaximè ad rem faciet, si, non solum Protestantes Principes, haud obstantibus istis controversiis, communem causam, contra Pontificios, æquè utrisque infensos, tueantur, sed etiam utriusque partis Theologi communem hostem impigrè impugnent: si ipsi controversias inter se placidè ac modestè tractent; inhumanis odiis, cavillationibus, calumniis, damnationibus, abtineant, ac ob dispares sententias, officia Christianæ & fraternæ charitatis ne omittant; si denique non tam certent, uter alterum disputando vincat, quàm uter, enixiore studio, vitam ad præcepta Christi conformet. Ita sperandum est, Spiritum pacis exulceratos animos paulatim sanaturum, ut abdicatis erroneis, aut inanibus, in solidam Fidei unitatem conspirent.

SECKENDORFIUS,

*Histor. Lutheranismi*, in Epilogo.

Non est præsentis instituti, ut ad criminationem, quàm, magnâ,  
ut



ut p̄t̄ant , cum efficac̄a , *Maimburgius* , & novissimè *Bossuetus* , ali-  
que , ex dissidiis inter Protestantes , quos in Lutheranos , & Calvinia-  
nos , sive Reformatos , distinguunt , elicere solent , prolixè respondeam .  
Sufficere h̄c potest professio publica trium Electorum Imperii , XXV .  
Principum , XXVI . Comitum , XXXV . Illustrium Civitatum Ger-  
maniae , quam in *pr̄fatione Formulæ Concordiæ* , anno 1580 . ediderunt ,  
asserentes , *se fanaticas opiniones , & earum pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat palàm reprehendere & damnare , quorum errores expresso Dei verbo repugnent ; nequaquam verò damnare eos homines , &c.* Aliorum ,  
ex Augustanæ Confessione addictis , judicium h̄c non examino , qui  
*Reformatorum* sententias , à nostris diversas , pariter quidem rejiciunt ,  
sed pro talibus non habent , quæ fundamentum Fidei subruant . Non  
est igitur , quod tantos de schismate hoc clamores excitent Adversarii .  
Videant ipsi potiùs manticiæ quod in tergo est , suasque priùs compo-  
nant controversias , à tot annis acerrimè exercitas : illam imprimis , quâ  
Galli cum Italis aliisque de Infallibilitate Capitis Ecclesiastici litigant ,  
& , quâ flagrante , unionis hierarchicæ , quam tantoperè jactant , vin-  
culum servari non potest . Solatio interea sit Protestantibus utriusque  
partis , quòd , in tot tantisque Articulis , ad summam fidei pertinenti-  
bus , consentiant , purgatumque ab innumeris superstitionibus , erro-  
ribus , & abusibus , cultum Deo exhibeant ; gratulentur sibi de com-  
muni , quo ab Romanæ doctrinæ propugnatoribus premuntur , odio ,  
idque quoniam absque detrimento veritatis evitare aut lenire non pos-  
sunt , inter argumenta orthodoxiæ , de quâ diximus , numerent . —  
Denique , ut in exordio operis monui , quoniam , de veræ pietatis &  
morum studio , & praxi , nulla nobis lis est , huic sedulò & sincerè  
incumbamus . Methodum Christus ipse præscripsit , atque successum  
promisit , Joh. VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus ( qui misit me )  
facere , cognoscet de doctrinâ , utrum ex Deo sit .* Sed repeto in fine labo-  
ris votum , quo cœpi , & Patrem Domini Jesu Christi supplex invoco ,  
ut ipse gregem suum , sibi optimè notum , benignè respiciat , dâmnif-  
que nostris id afferat remedium , quod ipsius sapientiæ & clementiæ  
optimè scit convenire , nobis in tempore & æternitate sit salutare .  
Fiat .

L

CHRIST.



CHRIST. MATTH. PFAFFIUS,

Theol, Tubing. Celeberr.

In Differt. de *Fidei Christianæ Art. Fundam.* Obs. XII.

Quòd Ecclesia, quæ Augustanam Confessionem confitetur, eaque, quæ Reformata dici amat, in unum eundemque cœtum nondum coaluere, non rei ipsius, sed hominum vitio fit, qui vel veritatis vel pacis studio haud satis tanguntur. Quantum autem rebus nostris hoc nocuerit, quòd in mutua hæctenus viscera lapsi fuerimus, qui Protestantium communi nomine vocamur, patet. Si enim eadem utrisque castra, si idem tubarum clangor extitisset, jam dudum Pergama Romana sponte corruissent, triumphassetque veritas. At verò, ubi litigamus, viresque, quæ unitæ fortiores sunt, dividimus, in pejus nostra, eheu! abire quotidie conspiciamus. Quis verò est Piorum, qui cœlum non precibus tundat, rogetque Dominum, ut disiectos Sionis lapides coadunet? Quis non optet, ut Ephraim & Juda, nullâ amplius æmulatione tacti, Romanensibus hodie in mutua jurgia fufis, in fraterna jam oscula ruant, atque, junctis viribus, ad regnum Christi, contra hostes communes, defendendum, provolent? Quis denique, qui curâ rerum tangitur, & quem Josephi clades affligit, pacem non precetur Hierosolymæ? Imò, Pax sit in propugnaculo tuo, tranquillitas in palatiis tuis!

Idem *Instit. Theol. Dogm. & Mor.* P. II. C. 1.  
de *Decretis Divinis.*

Nec diffitemur plurimùm nos optare atque calidissimis votis exoptere, uti, qui heic diversa à nostris castra formant, vel tandem in mutua nobiscum oscula ruant, & Absoluto Decreto res suas habere jussu, nobiscum Gratia Universalitatem agnoscant. Id enim est, quod unionem Ecclesiarum miris sanè modis promoturum esset, quæ res Ecclesiarum Protestantium maximam utique accessionem caperet. At verò, ubi in unam eandemque sententiam convenire nondum possumus, nil restat, quàm ut ad tolerantiam mutuam animos vertamus. Nec dixerit quis, Reformatos heic FUNDAMENTALITER ERRARE. Qui enim Absolutum Decretum saltem in Theoriâ statuunt, atque



atque in praxi in contraria omnia abeunt, Absolutumque Reprobationis Decretum nemini ante mortem impingunt, sed potius omnes Electorum in numero ponunt, nec de quoquam aliam sententiam facile fovent, quicumque porrò aliis egregiis doctrinis, qualis maximè illa est, de testimonio interno Spiritus sancti, quo de gratiâ Electionis certi reddimur, & de criteriis Fidei, item de verâ Fidei, Conversionis Sanctificationisque indole, ut alias taceamus, quicumque, inquam, aliis egregiis veritatibus, quas nobiscum possident, absoluto Decreto omnem nocendi vim, quæ in animos subinde influere posset, omneque periculum, quod, solitariè spectatum, illud saluti allaturum esset, adimunt, quicumque rursus, nostris etiam consentientibus, licèt Absolutum Decretum statuunt, tamen & salvari possunt & actu salvantur, ita ut eorum qui, apud Reformatos, ob Absolutum Decretum, in desperationem labantur, nullus texi index possit, & exempla hanc in rem, saltem frequentia, haud existant, illi, alias jam ut rationes taceamus, fundamentaliter errare dici nequeunt. Quin & in ipsâ *Concordiæ Formulâ*, nominatim contra Theologos Reformatos nihil heic decisum legitur, utpote post quam scriptam lis demùm hæc acrior exarsit, systemaque præsens, quod tenemus, explicatiùs traditum est. Et esset profectò ad pacem Ecclesiæ dandam consultum oppidò, si *Jo. Brentii*, si & *Jacobi Andreae*, Virorum ὀρθοδοξοτάτων, & quæ tota Ecclesia nostra, tanquam lumina veritatis, admiratur, mentem hinc omnes sequerentur, & ab abstrusis subtilibusque controversiis; ubi in arcana Providentiæ, & sapientiæ Divinæ, descendimus, manum abstraherent, ne Prædestinationem à priori. sed à posteriori saltem, rimarentur, quâ re, tota, uno halitu, lis difflata, in auram abiret. Id quod vel eapropter necessarium esse quivis videt, quoniam ipse Paulus Apostolus hinc exclamat, ὦ altitudo! Rom. XI. 33. omnesque, qui jam, hoc de Articulo, magnas inter se lites movent, tandem, quicquid etiam agant, in idem βασιθεῖ vel inviti inspiciunt, inque libero Dei arbitrio acquiescunt; id quod in fine Dissertationis de *Gratiâ & Prædestinatione*, à nobis editæ, luculenter ostendimus. Nolimus itaque, ut qui, de Absoluto Decreto, contra Reformatos, disputat, dogma hoc solitariè & in abstracto spectet, ubi haud negaverimus, periculosum id oppidò esse & saluti nocere. Si vero in concreto res consideretur, & prout, cum aliis eximiis veritatibus, quæ Absoluti Decreti vim subruunt, istud connectitur, longè alia controversiæ hujus scena emergit. Explicemus mentem nostram datâ instantiâ. Mercurius sublimatus primum inter venena locum occupat: si verò debito modo



præparetur, visque nocendi ipsi, affuso Mercurio vivo, per novam sublimationem, adimatur, in medicinam præstantissimam evadit; saltem venenum amplius non est. Idem hoc posterius, eadem ratione, de Absoluto Decreto affirmaverim. Scilicet venenum omne, ubi antidotum statim adjunxeris, venenum amplius non est, utpote quod veneni formam perdidit. At verò optandum utique foret, uti jam supra diximus, si aliam in sententiam heic Viri Præstantissimi nobiscum descenderent, atque Universalem Dei Gratiam, quod jam quidam factitavêre, agnoscerent. Nec dubitamus, fore, qui, dum tantoperè Pacem Ecclesiarum expetunt, antiquas sententias sensim sensimque deponant. Etsi enim subinde sint, qui, haud parvo adhibito rigore, contra nostrates, heic calamum stringant, inter eos quoque, qui irenica consilia in medium proponunt, Iliacosque intra muros & extra hîc peccetur, — nescio tamen, quæ spes nos jam erigat, fore, ut dum in omni re literariâ, dum & rem Religionis quod attinet, sæculum mutari, innovatique videmus, & hæc controversia aliam faciem nanciscatur, & antiqua lis, veritate rebus inducta, sensim sensimque sepeliatur. Atque ex his omnibus conspicere est, quantoperè à syncretismo, qui unionem Ecclesiasticam, posito dissensu fundamentali, quærit, nos abhorreamus. Non ii nos sumus, qui hanc in arenam descendamus, in quâ qui pugnâvêre hætenus, vulnerato & faucio semper capite, è pugnâ egressi fuêre. Neque etiam hanc in rem, contentionis ferram reciprocare cum dissentientibus ( si quidem dissentire hîc à nobis cum ratione quisquam possit ) nobis volupe est. Nec sanè & à communi viâ, quam Theologi nostri hætenus trivêre, heic abimus, cùm quicumque hætenus Absolutum Decretum inter errores fundamentales retulere, illud in abstracto saltem & solitariè, non in concreto, & prout veritatibus aliis, iisque planè salutaribus, dilutum est, spectaverint.

Ibid. P. II. Cap. 4. de *Unione Personali.*

Jam autem, si judicii, si veritatis, si pacis, si prudentiæ lucernam huic controversiæ admoveas, mirum videri possit, cur tantoperè litibus haud necessariis, & tanta secum damna ferentibus, Viri summi manus calamosque & linguas affuderint. Scilicet, qui ex historiâ dogmatis hujus, quam hætenus exaravimus, facilè hoc Lectori perspicendum dedimus, in controversiis Nestorianâ, Eutychianâ, Monotheliticâ & Adoptianâ *λογομαχίας* subinde utramque paginam olim fecisse,



cisse, non possumus non idem planè de hoc, quod inter Protestantes, in hunc usque diem, heic agitur, sententiarum divortio observare. En verò jam propositiones, ubi utraque pars consentit. ☞ In Christo una saltem est Persona, sed duæ Naturæ, quarum quæ Humana est, in Divinæ naturæ hypostasin fuit assumpta, idque per arctissimam intimamque quandam unionem, quâ intimior cogitari nequit. ☞ Utraque Natura suas proprietates & suos actus servat. Neque enim naturarum quædam proprietatumque confusio unquam venit admittenda. Hinc Humana Natura semper actu suo naturali, finita, extensa, circumscripta, passibilis &c. manet. Natura Divina est & manet semper infinita, immensa, impassibilis, &c. ☞ Natura Divina carni unita actionibus Christi mediatoris infinitam utique virtutem ad salvandum redimendumque Genus Humanum affudit. In actionibus enim apotelesmaticis utraque Natura agit quod suum est, cum communicatione alterius, non quòd ex hâc communicatione id habeat, ut agat quod suum est, sed quòd, ad conficiendum ἀποτέλεσμα unum atque indivisum, utraque, diversis re verâ actibus, concurrat. ☞ Personæ Christi, ut, tum Divinæ, tum Humanæ Naturæ actus proprii attribuantur, convenit, idque ex usu Scripturæ Sacræ. ☞ Hypostasis, Natura, & Idiomata Divina à parte rei unum idemque sunt, nec nisi ἰσχυρῶν ἐπινοιῶν, abstractionisque philosophicæ beneficio, à se invicem differunt. ☞ Naturæ Humanæ, beneficio Unionis Hypostaticæ, communicata sunt dona habitualia longè præstantissima; e. g. Potentia maxima, Sapientia summa, licèt finita. Itaque tota jam lis huc devolvitur; Num & attributa Carnis Christi Divinæ Naturæ per appropriationem; num & ☞ attributa Divinæ Naturæ Carni Christi per donationem communicata fuerint, & quidem ad communem possessionem, usurpationem, & denominationem, ita ut Humana Christi Natura re verâ sit Omnipræsens, Omnipotens, Omniscia, &c. Respondemus I. mirum esse, quòd hîc abstractionibus indulgeatur, ubi necessarium id planè haud est. Cur non suffecerit nobis, quòd Christus, idem Deus & homo, sit Omnipræsens, Omnipotens, Omniscius, passus, mortuus, &c. Quid opus est, de Naturis *in abstracto*, longam, inutilemque, & acerbam litem necere, ubi tandem, sauciis captitibus, réque indecisâ, tripudiantibus & Adversariis communibus, Satanâque in cachinnos risumque effuso, qui & plurimùm gaudet, quòd, neglecto praxeos Christianæ studio, eoque, quod medulla Christianismi est, neglecto, amore nempe mutuo, ad inanes rixas, & macilentam rerum cœlestium theoriam propagandam, nos Theolo-



gi provolemus ; ubi , inquam , tandem sauciis capitibus , plagisque lu-  
culentis acceptis , acie omnes exeunt , & , ridiculo instituto , utraque  
pars , protestante semper alterâ , epinicium in castris suis canit ? II.  
Cùm ex utraque parte Scripturam Sacram pro regula Fidei agnosca-  
mus , quidni ad simplicitatem Biblicam , quæ de communicatione in  
abstracto vel concreto nil memorat , hîc refugiamus , omnesque eas  
*Φράσεις* unâ eâdemque spongiâ deleamus , quæ in Divinioribus Lite-  
rit haud exstant ? Id quod totum , de denominatione ista , ad quam  
communicatio Idiomatum quòque facta esse dicitur , jurgium , uno ic-  
tu tollit. III. Cùm ea communicatio Idiomatum , quam nos statui-  
mus , non sit transfusio quædam , quâ mediante Idiomatica Divina  
Carni inhæreant , uti , e. g. , urendi proprietas ignito ferro inhæret ,  
sed potius *συνδύασις* , sive *junctio* , & verò Persona , Natura , & Idio-  
mata Divina , vel ipsis fatentibus Reformatis , nihil aliud sint , quàm  
unum idemque à parte rei , & saltem juxta modum concipiendi no-  
strum à se invicem differant , luce clariùs patet , *συνδύασις* hanc re ipsâ  
nihil aliud quàm unionem personalem esse , quam Viri Doctissimi nobi-  
scum fatentur , & per consequens , nihil planè impedire , quò minus no-  
biscum fateantur , e. g. Idiomatica Naturarum inter se realiter , & quidem  
per *συνδύασις* communicari . — — Quæ cùm ita sint , nemo est qui  
non videat , totam hanc controversiam facilè componi posse , si saltem  
homines & Veritati & Paci manus hîc dare aveant , nec *rei ipsius* ,  
sed *hominum* saltem *vitio* , divisas , hunc quoad Articulum , Ecclesias  
esse. Ast ais : Jam verò *Formula Concordiæ* longè aliter hanc in rem pro-  
nunciat , erroremque Sacramentariorum existimat esse fundamentalem.  
En verba , quæ exstant , p. 630. 631. *Mota certamina illa non sunt*  
*λογομαχίαι* , aut *de verbis inanes* & *non necessariæ disceptationes* quales oriri  
solent , cùm altera pars alterius sententiam non satis assecuta est , ut quibus-  
dam fortasse in hoc Religionis negotio res habere videntur , qui existimant ,  
disputari tantùm de paucis quibusdam vocabulis , quæ nullius sanè , aut certè  
non magni sint momenti. *Sed res gravissimæ sunt , de quibus controvertitur ,*  
& *prorsus tales , ut illius partis , quæ à vero aberrat , sententia in Eccle-*  
*sia Dei nec possit nec debeat ferri , nedum excusari aut defendi.* Sed prom-  
ta est responsio. Jam enim , si quando dissentientes mentem suam  
orthodoxè explicent , atque veræ sententiæ se haud contrarios esse  
ostendant , aliter dein ipsos tractandos , nostrumque calculum iis haud  
denegandum esse , res ipsa æquitasque suadet. Controversia hæc , quod  
probè notandum , inde à conscriptione *Formule Concordiæ* usque ad no-  
stra tempora , aliam faciem nacta est ; igitur & aliter de ea jam pro-  
num.



nuntiandum. Et quis negaverit, majorem subinde lucem rebus affundi & quæ olim tenebris involuta, perperamque intellecta erant, postea, rebus maturius pensatis atque penitus inspectis, melius capi atque rectius dijudicari? Sit ita. Rigidior paulò, & ex bona quidem Virorum Summorum, qui Librum præstantissimum enixi fuerunt, intentione, rigidior, inquam, jam enim Veritati & Paci omnia, quæ etiam charissima nobis in mundo sunt, lubenti calamo sacrificamus, rigidior, inquam, vel enim tertio difficilem periodum resumimus, fuerit *Formula Concordiæ*, in sententia Reformatorum Veterum dijudicanda; id quod tamen nos ut ostendamus, haud jam agimus. Quis nescit, nos, ubi manus illi damus, non anathematismis, non historicis rerum determinationibus, sed dogmatum saltem decisionibus, nec tam vocibus quàm rebus consensum nostrum adspargere? — — Ast quis nobis invidet, si eâ, quâ par est, rebus explicatione adhibitâ, tenebras quoque heic depellamus, atque viam ad Pacem, quæ dulcis, quæ amœna, quæ beata, quæ proficua est, sapientibus præeamus. Certè adparet jam, vel totam controversiam in *λογομαχία*, vel in *ισχυαῖς* saltem *ἐπινοίαις*, h. e. *subtilibus cogitationibus*, nudisque abstractionibus, consistere, pondusque haud magnum secum ferre. Saltem ERROR FUNDAMENTALIS, & Hæresis apud dissentientes ubi hîc jam lateat, HAUD AMPLIUS PATET. Ultra captum vulgi hæc omnia sunt; quod vel solum ostendit, hîc circa Articulum Fidei Fundamentalem quæstionem nullam esse, cùm inter Articulorum Fundamentalium criteria dudum hoc posuerimus, eos ita comparatos esse debere, ut à Vulgo capi possint; Religionemque non minùs Vulgi quàm Doctorem, imò magis Vulgi quàm Doctorem, esse constet. Rebus verò sic stantibus, facilè cuivis patet, parùm Ecclesiam ædificari, neque etiam Charitatis officio satis quod est fieri, si ad anathematismos, si ad Nestorianismi aliarumque Hæresium imputationes chartis nostris polemice heic illinendas, calamum porrò vertamus.

Idem



*Idem Part III. Sect. III. de S. Coena. Postquam multa dixit de Præsentia reali, juxta mentem Lutheranorum, non naturali, non locali, non expansiva, non inhæfiva, non circumscriptiva, sed duntaxat Sacramentali, pertendit, vix ullum discrimen, præterquàm de solis vocibus, inter Lutheranos & Reformatos hic superesse: Unde sic colligit, pag, 751.*

Ast quid quæso disputamus, si tota controversia in nudam *λογομαχίαν* abit? quid in mutua sævimus viscera, qui pacis filii esse debebamus, & qui ad servandam Ecclesiam, quam conficimus, bello omni civili extincto, pace communi opus habemus? quid, dum de verbis litigamus, dum inutiles jejunasque controversias miseri diffundimur, id quod necessarium est, Christianismum practicum, & regnum Dei in animis hominum, jurgiis quippe illis impediri, erigere negligimus? Floreat tandem, Deo, qui veritatis, qui pacis autor est, in cordibus nostris & veritas & pax; hoc est, adhibeamus, quæso, rebus rectè inspiciendis, sanioris, nullâque affectuum violentiâ impediti judicii lucernam, ut nobis pateat, totum istud certamen nonnisi logomachicum esse, aut ejusmodi circa expressiones versari, sub quibus nullæ rerum ideæ lateant, & ubi de iis rebus disputemus, quas ipsimet haud concipiamus, perperamque adeò ad anathematismos mutuos provolemus; deinde verò ubi heic animum nostrum rectè composuerimus, calamum polemicum porrò seponamus, & sic in mutua, qui hæcenus dissensimus, oscula læti ruamus.



TES.



# TESTIMONIA.

*quædam selecta ZUINGLIÏ, CALVINI, aliorumque è  
REFORMATIS Theologorum, ad Concordiam  
inter ipsos & Lutheranos ineun-  
dam tendentia.*

## ZUINGLIUS.

*Explan. Art. XVIII.*

**L**UTHERUS ( quantum ego possum judicare ) fortissimus miles est Christi, qui tanta diligentia Scripturas scrutatur, ut ab annis mille alius nemo. Non moror jam, si me Pontificii hæreticum cum eo pronuntiabunt. Hoc dico, qui tam immoto & constanti animo Papam sit adgressus, nullus fuit ( aliis nihil derogo, ) ab eo tempore quo cœpit Pontificatus Romanus. — Nihil novi adfert Lutherus, sed quod in immutabili & æterno Verbo Dei servatur & reconditur, liberalissimè depromit, cœlestem thesaurum seductis Christianis indicans ac ostendens. Nec moratur quid hostes Dei contrà moliantur, nec curat quàm torvè eum respiciant, quidve minentur.

*Idem, Epist. ad Hosiandrum.*

Sunt quidam hodie tam perversè docti & religiosi, Hosiander colende, ut quicquid ab eis dissentiat, etiamsi verissimum sit, rejicere, contumeliâque summa adficere non pudeat. Quales hac tempestate ( proh dolor ! ) plurimi reperiuntur, dum pars carnem Christi corpoream in Cœna Dominica edi adserimus, pars negamus. Illi istis ignavorum, imò impiorum nomina opprobrant: Hi contrà, illos Spiritu inanes esse dicunt. Quam equidem audaciam ferri censerem, si inter se mutuò libris missis, aut epistolis, tantummodò digladiarentur, non etiam totos sermones aut annos quoque consumerent in hoc, ut carnem aut in Cœna retinerent, aut vacationem à Cœ-

M

na



nā impetrarent. E quorum numero sis necne, tu videris. Rumor certè magnus est, te in hoc fuisse jam sesquiannum: volo enim liberè tecum per Epistolam agere. Quantum, quæso, putas interea decelisse pietati ac innocentia? Nobis certamen est cum Cacodæmonibus & Carne: Missis ergo istis, ad superstitionem convertimur, & contentionem. Carnem querimur apud rudes auferri, haud aliter quàm si Religionis summa sit in commanducata carne. Interea pullulant pessimi mores, friget charitas, suspecta redditur omnis in Deum pietas. Cur hoc non videmus, Optime Hosiander, si Religio atque innocentia nobis unicè sunt cordi? Cur his neglectis ad infirma elementa redimus? quæ ubi postliminio reducta erunt, summam impietatem secum trahent, quemadmodum priùs quoque fecerunt. Quæ, oro, promissio facta est, si carnem carnaliter edamus?

Idem, *Christiana Fidei brevi & clara Expositione, ad Francisc. I. Reg. Gall.*

Christum credimus verè esse in Cœna, imò non credimus esse Domini Cœnam, nisi Christus adsit. — Adserimus non carnaliter & crassè manducari Corpus Christi in Cœna, sed verum Christi Corpus credimus in Cœna sacramentaliter & spiritualiter edi, à religiosa, fidei, & sancta mente, quomodo & Divus Chrysostronus.

*De sententia ZUINGLIÏ & OECOLAMPADII sic  
Bucerus, Præf. in eorum Epistolas.*

Invenias alicubi in Epistolis *Zuinglii* de Sacramentis, unde videri possit Vir ille Sacramentis minùs tribuisse, quàm Scriptura eis tribuit: cùmque nos eas Epistolas edidimus in vulgus, verendum, ne qui idem & de nobis, nostrisque per Elvetios Ecclesiis suspicentur. Ne ergo à nobis cuiquam detur offensio, quæ in vituperium valeat Christi, voluimus te, Optime Lector, hinc præmonere, nec *Zuinglium* inficiatum esse, nec nos inficiari, Sacramenta esse symbola gratiæ, Fideique suo modo opem ferre; nec esse tesseras solum Societatis Christianæ: tantùm ut Christo Domino omnis virtus salvifica transcribatur; & agnoscat, tum Sacramentis nos salutem percipere, cum nobis in illis percipitur opus Christi: quod tum percipimus, cùm fide amplectimur quæ Christus in Sacramentis pollicetur & offert. Legem spiritui  
Christi-



Christi collatam D. Paulus facit literam occidentem , cùm eandem subservientem spiritui Christi testetur *erudire ad salutem* &c. Circumcisionem , ut illam Dominus populo suo symbolum benevolentiae suae instituit , *foedus* à Domino vocatur : usurpatam externè modò sine fide promissionis gratuita , Paulus scripsit *nihil valere*. Et de Baptismate D. Petrus scribit , illo *nos salvari* ; complectens scilicet totum donum Christi , quod Baptismate offertur. Mox tamen subjicit , *Non ablutio sordium carnis , sed foedus conscientiae bene respondentis Deo* ; distinguens explicando , quae separari tamen non debent , sacramentum sive commendando , sive sumendo. Quod enim præcipuum in hoc Sacramento est , Apostolus præcipuum etiam haberi cupiebat , & cavere ne ab externo symbolo abluitionis salus peteretur , mysterio in ipso Christi neglecto , quod utique fide cordis recipiendum est. Ad eundem modum & Zuinglius in iis locis , in quibus videri possit Sacramenta non plenè satis prædicasse , fiduciam voluit amoliri operis externi , non evacuare sacramentum Christi. Erat enim illi res cum iis , qui vulgarem illam impietatem tuebantur , quâ homines ab opere operato , ut illi vocant , hoc est , ab ipsa ceremonia externè modò adhibita , salutem petunt , nihil prorsus solliciti de fide in promissionem , quae Sacramentis commendatur. Contra hos itaque dimicans , meritò contendit , Christum Dominum nos in gratiam Patris restituere , non Sacramenta , id est , externam exactionem Sacrificulorum in administratione Sacramentorum. Nam illi eam actionem ad obscurandum meritum Christi vendunt. — — De nostris verò Ecclesiis ne patiari tibi persuadere , in eis de Sacramentis aliter doceri , quàm ipsae tradunt Scripturae , docent S. Patres , & ab initio Christi Ecclesia credit : Esse nimirum illa symbola Gratiae & Redemptionis Christi , quae illis , seu visibilibus verbis , ut ea D. Augustinus vocat , offertur & exhibetur : Domini quidem virtute , Ecclesiae verò Ministerio , in Baptismate & in Christum insitio , in Sacra Eucharistia vera Corporis & Sanguinis Christi communicatio : horumque rerum usum esse non ad profitendum modò , sed magis adeò , & præcipuè quidem , ad alendam & provehendam fidem , ut quibus Communio Christi plenius nobis & commendetur , & ( ut dictum ) exhibeatur. Sic ubi in tractatione Eucharistiae leges contendi , Christum reliquisse hunc mundum , & Coelos corpus suum recepisse , nec posse impanari , aut in pane includi , tu ne putes Christum in nostris Ecclesiis Sacra Coena excludi , solùmque Panem & Vinum , inania Symbola , administrari. Utinam nosses , Optime Lector , quàm istuc abominatus



fit Pater & Præceptor noster *Joan. Oecolampadius*. Sed sicut transitus Domini nostri Jesu Christi in Cœlos, hoc tantum infert, jam Dominum hîc non agere ratione hujus sæculi, ita scito nobis nihil negari, quàm Christum naturaliter & ratione hujus sæculi uniri cum Pane, vel in Pane includi localiter: cæterum verum Corpus, verum Sanguinem Domini, ipsum verum Christum Deum & Hominem nobis in Cœna adesse, ipsiusque verbis & symbolis exhiberi in cibum, non periturum carnis, sed sempiternum animæ: eoque non sensu aut ratione, sed verâ fide percipiendum.

Ipse B U C E R U S,

*Præf. in Exposit. Sophoniæ.*

Utinam autem tam hi ipsi (*Lutherus, Oecolampadius, Melanchthon, Capito, &c.*) quàm alii, quibus idem doni cœlitus datum est, positis diffidiis, & missis quæstionibus non perinde Ecclesiam ædificantibus, at quæ ardenti contentione tractantur, huc se totos conferrent, quo quicquid in Scripturis nondum in lucem erutum est, eruerent, & qua donati in his dexteritate sunt, ita illustrarent, quo semel Divina electis ritè familiaria facta, humana commenta loco moverent, ipsosque ad cœlestia raptos, cœlo digniore vita imbuerent. — Id autem quum multò omnium opinione majorem frugem, pietatisque instaurationem afferret, nihil non tentat Satan quo hinc eos avocet, quibus posse in his aliquid datum, aliisque occupet disputationibus, non solùm cum Scripturarum tractatione haudquaquam conferendis, sed etiam sæpe plurimùm nocentibus. Qualis inter reliquas & illa plus nimio celebris, de verbis Cœnæ Dominicæ, indubiè existit. Non quòd indignum arbitrer, & hæc Servatoris nostri verba diligenter excutere, ac germano illa sensu Fratibus commendare: Sed quod jure plusquàm dicere possim, detester istam indignissimam, non modò Christiani gregis ducibus, sed quibuslibet etiam è vulgo Christianis, imò etiam nihil nisi hominibus, proscindendi, dilacerandi, conserpendique Fratres, eundemque Christum, summa fide prædicantes (dicam quod res est) insaniam & furorem. — — Alteram, fateor, partem errare necesse est, eoque verba Christi à genuino ipsorum sensu detorquere; Dum autem utraque Christum unicum nostrum Servatorem confitetur & prædicat, dum suis in Cœna adesse agnoscit & celebrat, dum etiam Cœnæ panem  
Corpus



Corpus ipsius non illibenter vocat, esseque fatetur, quod, quæso, tantum est fidei, quod pietatis periculum, ut de modo quo panis Christi Corpus sit dissentientes, tanto par sit furore blasphemare? Præsertim, quum illi ipsi, qui pro corporali Domini in Coena præsentia digladiantur, de eo minimè constare sibi, editis Libris, fateantur. Imò scribit *Johannes Pomeranus*, in Libello quem suam de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi Confessionem inscripsit, credere se neminem posse hunc modum scire: neque aliquem debere esse sollicitum ut sciat; quando ex verbo Christi hoc non intelligatur; &c. Hæc verba *Pomerani*. Jam qua de re tam atrociter pugnatum est, quàm quòd Christi majestas, Scripturæque authoritas, intolerabile piis multis reddidit, dicere, recitatis supra panem & vinum Domini verbis, ipsum corporaliter esse in pane? Dicere, corporaliter panem Christi Corpus esse, utique est modum explicare, qui tamen, *Pomerano* teste, neque sciri potest, nec inquiri debet. Sed ut non contentiosis etiam hic modus satis cognosci potest, ita si possemus concordiam ferre, jam etiam de eo conveniret. Scripserunt enim illi, ex pane & Christi Corpore unum fieri, non naturâ, non personâ, non denique operatione, sed sacramentaliter: id quod & nos fatemur. — Nos non dubitamus ipsos hac in re à vero aberrare: sed quia simul persuasum habemus imprudentibus id accidere, ut infirmos eos amplectimur, abjecturi, si scientes crederemus vim facere verbis Dei. Sic vicissim, quum nullam vel verisimilem suspicionem habeant, nos scientes veritati adversari, tametsi id de nobis ausi sint scribere, debebant & illi, si ita ut se jactant, de sua sententia certi essent, nostram Fidei infirmitatem, id est, Verbi Dei hac in re ignorantiam, boni consulere, susceptisque nobis dare operam, ut olim meliora persuaderent. — Equidem scripsi aliquando, controversiam esse tantum circa unum Scripturæ locum, eumque tradentem externam duntaxat ceremoniam, eoque indignam esse, ob quam diriter adeò Fratres in Fratres sævirent, & perniciosè Ecclesiæ scinderentur.

Idem, *Epist. ad Acad. Marpurg.*

Tumultuatum jam est, toto quadriennio, circa summæ charitatis symbolum, Eucharistiam, nec hodie plena pax à plerisque impetrari potest. At interim utrinque prædicatur fide in Christum possideri vitam æternam, dilectione totam impleri Legem. Verba quoque, de



quibus tam dira sævaque est digladiatio , utrique fatentur vera , & neutri simpliciter accipienda. Nam nemo omnium adhuc ausus dicere fuit , Panem esse id ipsum quod Christi Corpus. — Ex nostris ( nostros enim habemus , qui eundem nobiscum Christum prædicant , quales quales ipsi nos habeant ) dixerunt , alii sub pane Christi Corpus contineri , alii per hæc demonstrari non panem , sed Corpus Domini , quod pro nobis passum est ; alii idem , sed simul inclusâ similitudine panis , ut demonstratio sit ad intellectum , non sensum. Verus enim Panis , verus & cibus , Christi Corpus , sed ad vitam æternam. Hi omnes tropum inesse his verbis agnoscunt , alii Synecdochen , alii Metonymiam. Ad hæc pariter cuncti fatentur , præcipuam esse , solam per se salutiferam , manducationem spiritûs , quæ fit per fidem. Unum hoc controvertitur , an simul re ipsâ & corporaliter Christus suum Corpus manducari voluerit , sive sub panis speciebus , sive sub ipso pane. Nam neutri inficias eunt , hanc Christi manducationem per se adeò saluti non esse , ut etiam perniciem adferat , si desit illa spiritalis. Quàm digna verò causa tanti tamque perniciosi Schismatis ! Nos itaque & si non dubitemus , non solùm citra omnem scripturam hanc corporalem manducationem adseri , sed etiam hinc sequi Christum Servatorem non esse verum pro nobis Hominem factum , indèque evanescere quo maximè spes nobis nititur Resurrectionis , rationem Novi Testamenti tolli , gloriam Christi jam ad dexteram Patris regnantis imminui , quæ denique de sui manducatione , *Johannis VI.* everti : dum tamen perpendimus , plerosque dogmatis hujus Sectatores , à Christo in omnibus pendere , dilectionis officiis sedulò incumbere , atque ideò haudquaquam in hoc dogmate , quæ nos , videre , imò hoc quo ipsi hæc verba sensu accipiunt , à Christo dicta nihil addubitare , agnoscimus nostrum esse , non quid per se ex hoc dogmate , sed quid in illorum sequatur conscientia , spectare ; utque obtinere apud eos , ex tam certis indiciis , maximè verò omnium , ex sincera illa dilectione , studioque servandæ unitatis Ecclesiæ , spiritum Christi cernimus , ita eos esse Christi dubitare nequimus. Et indubiè , si Dominus eis daret , affectus , qui modò turbant , paulisper semovere , utique visuri essent , nihil prorsus sibi causæ adeò abjiciendi nos relinqui ; Christum etenim simul confitemur nostrum Servatorem ; ex dilectione quantum licet vivere studemus ; nihil est ex omni Christi doctrina , quod non certissima fide amplectamur : ipsa quoque verba Cœnæ singula quàm religiosissimè recipimus : Verùm , cum ea non habeant , in pane manducari Christi Corpus corporaliter , idque  
tot



tot aliis apertissimis Scripturæ locis, ut nobis quidem datum est illos intelligere, manifestò repugnet, hanc unam corporalem manducationem, quæ per se salutis esse ne ab ipsis quidem affirmatur, negamus, huc, sola Christi religione, quantum ipsi quidem nobis coram Deo consci sumus, acti. Hæc denique causâ, tam nolimus hæcenus ab illis secedere, ut nihil omnium, quæ vel ullo pacto retinendæ fraternitati crediderimus inservitura, prætermiserimus. Id testabitur posteritas, & videbit verum universus Orbis, cum Christus ad iudicium redierit. Quis jam igitur non videat præposteram esse, quæ vel prætextatur, vel verè incessit religio, ne nos, quicumque demùm illi sint (sunt enim, gratia Domino, haudquaquam multi) fraternitatis jure gaudere secum permittant? Nam, aut nullos hi dissentientes in rebus sacris Fratres agnoscent, quod si volent, nemo alteri vel inter ipsos Frater erit, aut si aliquos in Fratrum numerum admittunt, & nos admittere oportebit.

## CALVINUS,

### *Epist. ad Bullingerum.*

Audio Lutherum tandem, cum atroci invectiva, non tam in vos, quàm in nos omnes, prorupisse. Nunc vix audeo à vobis petere, ut taceatis; quia neque æquum est sic vexari immerentes, & illis negari sui purgandi locum; & statuere difficile est, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire; primum quantus sit Vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quantâ animi fortitudine & constantiâ, quantâ dexteritate, quantâ doctrinæ efficaciam, hæcenus ad profligandum Antichristi regnum, & simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere solitus sum; etiam si me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei servum agnoscam: Qui tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laboret. Hanc intemperiem, qua ubique ebullit, utinam magis frænare studuisset. Vehementiam autem, quæ illi est ingenita, utinam in hostes veritatis semper contulisset, non etiam vibrasset in servos Domini. Utinam recognoscendis suis vitiis plus operæ dedisset. Plurimùm illi obfuerunt adulatores, quum ipse quoque naturâ ad sibi indulgendum nimis propensus esset. Nostrum tamen est, sic reprehendere quod in eo est malorum, ut præclaris illius donis aliquid concedamus. Hoc igitur primùm reputes obsecro, cum tuis Collegis, cum primario  
Christi-



Christi servo, cui multum debemus omnes, vobis esse negotium. Deinde nihil vos confligendo profecturos, quàm ut lusum impiis præbeatis, ut non tam de nobis quàm de Evangelio triumphant. Si mutuò nos proscindimus, plus satis habent nobis fidei. Hæc potiùs intueri & cogitare te velim, quàm quid sua intemperie promeritus sit Lutherus. Ne ergo nobis eveniat, quod denuntiat Paulus, ut, invicem mordendo nos & lacerando, consumamur, etiamsi ille nos provocaverit, abstinentium potius à certamine, quàm ut communi Ecclesiæ jaçturâ, vulnus augeamus.

Idem, *Institut. Christ.* Lib. IV. Cap. XVII. §. 19.

Cæterùm his absurditatibus sublatis, quicquid ad exprimendam veram substantialemque Corporis ac Sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris Cœnæ symbolis Fidelibus exhibetur, facere potest, libenter recipio: atque ita ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, sed ut re ipsâ frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur.

Idem, *in I. Corinth.* XI. 24.

Rejeto itaque Papistarum delirio, videamus quomodo nobis detur Corpus Christi. Quidam nobis dari exponunt, dum participes efficiamur omnium bonorum quæ nobis Christus in Corpore suo acquisivit: dum fide, inquam, amplectimur Christum pro nobis crucifixum & à mortuis excitatum; eoque modo efficaciter omnibus ejus bonis communicamus. Qui sic sentiunt, fruuntur sanè illo sensu. Ego autem tunc nos demùm participare Christi bonis agnosco, postquam Christum ipsum obtinemus. Obtineri autem dico, non tantùm quum pro nobis factum fuisse victimam credimus: sed dum in nobis habitat, dum est unum nobiscum, dum ejus sumus membra ex carne ejus, dum in unam denique & vitam & substantiam (ut ita loquar) cum ipso coalescimus. Præterea audio quid verba sonent: neque enim mortis tantùm ac resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus, sed Corpus ipsum, in quo passus est, ac resurrexit. Concludo, realiter, (ut vulgò loquuntur) hoc est, verè, nobis in Cœna dari Christi Corpus, ut sit animis nostris in cibum salutarem. Loquor vulgari more: sed intelligo substantiâ Corporis pasci animas nostras, ut verè unum efficiamur cum eo:

Idem,



Idem , Tractat. de *Æterna Prædestinatione* , qui est in-  
ter ejus *Opuscula*.

Neque tamen ex arcano Dei consilio petenda nobis est salutis no-  
titia. Vita in Christo proposita est , qui se in Evangelio non modò  
patefacit , sed fruendum exhibet. In hoc speculum defixus sit fidei  
aspectus ; nec penetrare appetat quò accessus non patet. Quando hæc  
via est , in ea ambulent Filii Dei , ne , altiùs quàm fas est evolando in  
profundiolem , quàm optandum sit , labyrinthum se demergant.

## C O N F E S S I O I V . C I V I T A T U M ,

Argentorati , Constantiæ , Memmingæ , & Lindaviæ ,  
*Carolo V. exhibita in Comitiiis Augustanis ,*  
*Anno 1530.*

### Art. XVIII.

De hoc venerando Corporis & Sanguinis Christi Sacramento , om-  
nia quæ de illo Evangelistæ , Paulus , Sancti Patres , scripta relique-  
runt , nostri fide optima docent , commendant , inculcant. Indèque  
singulari studio hanc Christi in suos bonitatem , semper deprædicant ,  
quâ is non minùs hodie , quàm in novissima illa Cœna , omnibus  
qui inter illius Discipulos ex animo nomen dederunt , cum hanc Cœ-  
nam , ut ipse instituit , repetunt , verum suum Corpus , verumque  
suum sanguinem , verè edendum & bibendum , in cibum potumque  
animarum , quò illæ in æternam vitam alantur , dare per Sacramenta  
dignatur , ut jam ipse in illis , & illi in ipso vivant & per maneant , in  
die novissimo , in novam & immortalem vitam per ipsum ressu-  
scitandi , juxta sua illa æternæ veritatis verba ; *Accipite & manducate ;*  
*Hoc est Corpus meum , &c. Bibite ex eo omnes : Hic calix est Sanguis meus ,*  
&c. Præcipuâ verò diligentia , populi animos nostri Ecclesiastæ , ab  
omni , tum contentione , tum supervacanea & curiosa disquisitione ,  
ad illud revocant , quod solum prodest , solumque à Christo Servato-  
re nostro spectatum est , nempe ut ipso pasti , in ipso & per ipsum vi-  
vamus vitam Deo placitam , sanctam , & ideò pereannem quoque & bea-  
tam , simùsque inter nos omnes unus Panis , unum Corpus , qui de uno  
Pane in Sacra Cœna participamus.

N

CON-



C O N F E S S I O H E L V E T I C A ,

Capite X X I.

Retinere vult Dominus ritu hoc sacro , in recenti memoria, maximum generi Mortalium præstitum beneficium, nempe, quòd tradito Corpore & effuso suo Sanguine , omnia nobis peccata nostra condonavit, ac à morte æterna & potestate Diaboli nos redemit, jam pascit nos sua Carne & potat suo Sanguine, quæ, verâ fide spiritualiter percepta, alunt nos ad vitam æternam. Et hoc tantum beneficium renovatur toties, quoties Cœna Domini celebratur. Dixit enim Dominus: *Hoc facite in mei commemorationem.* Obfignatur autem hac Cœnâ Sacrà, quòd reverâ Corpus Domini pro nobis traditum, & Sanguis ejus in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet.

Et quidem visibiliter hoc foris Sacramento per Ministrum repræsentatur, & veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima invisibiliter, per ipsum Spiritum præstatur. Foris offertur à Ministro Panis, & audiuntur voces Domini; *Accipite . edite ; Hoc est corpus meum ; Accipite & dividite inter vos : Bibite ex hoc omnes ; Hic est Sanguis meus.* Ergo accipiunt Fideles quod datur à Ministro Domini, & edunt Panem Domini, ac bibunt de Poculo Domini: intus interim, operâ Christi per Spiritum Sanctum, percipiunt etiam Carnem & Sanguinem Domini: & pascuntur his in vitam æternam. Etenim Caro & Sanguis Christi, verus cibus & potus est ad vitam æternam; & Christus ipse, quatenus pro nobis traditus & Salvator noster est, illud præcipuum Cœnæ est, nec patimur quicquam aliud in locum ejus substitui.

C O N F E S S I O G A L L I C A N A ,

Art. X X X V I.

Affirmamus Sanctam Cœnam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Jesu Christo unionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel & excitatus à mortuis pro nobis, sed etiam verè nos pascit & nutrit carne sua, & sanguine, ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem ha-  
bea-



beamus. Quamvis enim nunc sit in Coelis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum iudicaturus, credimus tamen eum, arcanâ, & incomprehensibili Spiritûs sui virtute, nos nutrire & vivificare sui Corporis & Sanguinis substantiâ per fidem apprehensâ. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non ut, efficaciam & veritatis loco, imaginationem, aut cogitationem supponamus: sed potiùs, quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeò ordinem naturæ superet: denique quoniam, cum sit divinum ac cœleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest.

## Apologia ECCLESIAE ANGLICANÆ,

*Authore Joh. Juello, Episcopo Sarisbur.*

Panem & Vinum dicimus esse sacra & cœlestia mysteria Corporis & Sanguinis Christi; & illis Christum ipsum, verum Panem æternæ vitæ, sic nobis præsentem exhiberi, ut ejus Corpus & Sanguinem per fidem verè sumamus: non tamen id ita dicimus, quasi putemus naturam Panis & Vini prorsus immutari atque abire in Nihilum, quemadmodum multi proximis istis sæculis somniârunt. — Nec tamen cum ista dicimus, extenuamus Cœnam Domini, aut eam frigidam tantum ceremoniam esse docemus, & in ea nihil fieri; quod multi nos docere calumniantur. Christum enim asserimus verè sese præsentem exhibere in Sacramentis suis: in Baptismo, ut eum induamus: in Cœna, ut eum fide & spiritu comedamus, & de ejus cruce ac sanguine habeamus vitam æternam: Idque dicimus, non perfunctoriè & frigidè, sed re ipsâ & verè fieri. Etsi enim Christi Corpus dentibus & faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu, tenemus & premimus. Neque verò vana ea Fides est, quæ Christum complectitur, nec frigidè percipitur, quod mente, fide, & spiritu percipitur. Ita, enim nobis, in illis mysteriis, Christus ipse totus, quantus quantus est, offertur & traditur, ut verè sciamus, esse jam nos carnem de ejus carne, & os de ossibus ejus, & Christum in nobis manere, & nos in illo.



*Præfatio Apologetica Piorum, qui, sub ZUINGLIANI & CALVINIANI nominis invidia, vim & injuriam patiuntur, ad omnes Germaniæ Principes & Ecclesias Reformatas: præfixa Consensui Orthodoxo &c.*

Quàm grave & diuturnum sit, de Sacra Domini Cœna, inter Ecclesias, quæ, relictis superstitionibus Papisticis, puram Evangelii doctrinam profitentur, dissidium, nemo est qui ignoret: nemo item Religionis & Pietatis studiosus, qui non deploret, propter scandala, quæ inde multa & gravia exorta sunt. Etenim qui, non sine felicibus supremi Numinis auspiciis, primi cœperant publicos, & longo usu inveteratos errores reprehendere, collapsam Ecclesiæ Disciplinam instaurare, inter se commissi, in neutro opere eum deinde successum habuerunt, quem animo præsumpserant, quem pii omnes, communibus votis, exoptabant. — Nam quod recepta Ecclesiæ dogmata attinet, nulla inter nos & Augustanæ Confessionis socios lis est, quàm quæ, renascentis Evangelii tempore, præcipuos & primos ejus præcones, non absque certo Dei judicio, de Cœna Domini nostri Jesu Christi, exorta fuit. Et quemadmodum Augustana Confessio in Axiomatibus de Sacrosancta Trinitate, de Persona Mediatoris nostri, & duabus in illo Naturis, ineffabiliter, inconfusè, & inseparabiliter, unitis, non dissentit à veteri doctrina, quam in Papatu quoque Ecclesia, ex singulari Dei beneficio retinuit: ita nos quoque ab ea non dissentimus, neque unquam de his ulla inter nos controversia fuit, ut neque de Fidei Justificatione, ex qua omnis salus nostra pendet. Cùmque Augustanæ Confessionis Theologi hætenus in multis liberè & apertè à *Luthero* dissenserint (id quod acerrimæ ipsorum, de præcipuis Fidei dogmatibus, concertationes testantur) nos soli inexpiable scelus committere judicamur, qui, in uno tantum capite, à *Lutheri* autoritate, quâ solâ illi nos opprimere volunt, recedimus? Tulerunt hucusque inter disceptantes de Justificatione, de Peccato Originis, de Libero Arbitrio, de Evangelio, de Lege & ejus usu, de Christi ad inferos descensu, de ipsius Persona, de Ceremoniis, de Filiorum Dei Electione ad vitam æternam, & multis aliis non levis momenti articulis, de quibus facilè transigunt, eò quòd isti omnes sese *Lutheri* nomine tuentur; nos autem, quia in unico Cœnæ Dominicæ articulo, nos à *Luthero* dissentire fatemur, inauditi damnamur? Annon



Annon hoc est fidem Jesu Christi cum personarum respectu habere ; quod Apostolus tantoperè improbat? Nunquam certè hanc judicii præcipationem probabunt aliarum nationum Piissimi Viri, quorum multi eruditione & doctrina, meritis item de communi Ecclesia, clarissimi sunt, qui magnificè quidem de *Luthero* sentiunt, non autem personæ autoritate, sed rationibus ducuntur, & illum sanctum hominem, sed tamen hominem, agnoscunt, nobis autem non tam iniqui sunt, ut propter illum nos inauditos damnent. Quam æquitatem multò magis Theologi Germani nobis præstare debebant, à quibus, etsi dissentimus de Cœna Domini, non tamen in toto Cœnæ negotio dissentimus.

Nam de ejus substantia, de ejus fine, item & usu, qui in Sacramentis præcipuè spectari debet, nulla est inter nos controversia: neque etiam ab Augustanæ Confessionis verbis abhorremus, si sano & moderato sensu (quem Principibus quoque nonnullis probari constat) accipiantur: sed quia sunt ambigua, libenter ab illis abstinemus, ne, in causa gravi, sophisticè, aut parùm ingenuè agere dicamur. Sed & verba Domini, qui de Pane dixit, *Hoc est corpus meum*, & de Poculo, *Hic est Sanguis meus*, non negamus, neque (ut quidam de nobis incogitanter garrunt) immutamus, multò minùs expuncta volumus: sed iisdem quoque ipsi utimur, & palàm fatemur, Panem hunc, non ampliùs vulgarem panem, sed suo modo (ut D. Augustinus loquitur) esse Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod in mortem pro nobis traditum, & cum fide manducatum, nos pascit & alit ad vitam æternam. Etenim toto corde, & non absque dulcissima consolatione, amplectimur illius verba, in Evangelio dicentis; *Amen, Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in ultimo die. Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in ipso, &c.* Cujus promissionis Sacramentum, sive sigillum, nobis in Cœna dari, constanter credimus & fatemur: non inane aut vacuum, non fallax, sed verum & efficax, utpote quod promissionem verissimam sibi conjunctam habeat.

Itaque, neque præsentiam, neque manducationem Corporis Christi in Cœna negamus sed de solo modo præsentia atque manducationis inter nos & Adversarios est controversia. Cùm enim hi in verbis Cœnæ τὸ πρῶτον & literam urgeant, nos locutiones Sacramenta-



les esse dicimus , & proinde modum quoque præsentia & manducationis Sacramentalem statuimus : quod neque illi negare possunt. At quando eum pro aliorum Sacramentorum ratione & consuetudine explicamus , non acquiescunt huic sententia Adversarii , sed plus quiddam exigunt. Atqui docent Sacra Litera ( & in eo utrinque consentimus ) duplicem esse manducationem Corporis Christi, Sacramentalem & Spiritualem. Sacramentalis dicitur , in qua ore corporeo sumimus Symbola , panem & vinum , quæ rerum signatarum, Corporis nimirum & Sanguinis Christi , nominibus appellantur. Atque hæc est manducatio illa , de qua Patres Orthodoxi dicunt , Corpus Christi à nobis in mysterio & in Sacramento manducari , atque ei veritatem Corporis opponunt. Spiritualis manducatio est , in qua non tantum externa Signa , sed Christum totum , Deum & Hominem , cum omnibus suis beneficiis , percipimus atque manducamus , non corporis , sed mentis ore , quod est Fides. De utroque manducationis genere inter nos satis convenit , etiamsi quidam nobis perperam adscribant , nos spiritualem manducationem ejusmodi docere , quâ non Corpus Christi , sed tantum ejus meritum & efficacia percipiatur : quos nobis injuriam facere , Libri & Confessiones à nobis editæ satis docent. Quia enim manducationem spiritualem & vivificam docemus Fide fieri , non solum beneficia & meritum Christi , sed hunc totum cum omnibus suis donis eadem Fide amplectimur. Nam non ignoramus , Communionem illam ineffabilem , quâ Christo uniti sumus , in eo positam esse , ut simus membra Christi ipse verò Caput nostrum , à quo vita & salus membris communicatur. De eo igitur solo inter nos controvertitur , an præter Sacramentalem & Spiritualem manducationem , tertium quoddam manducationis genus verbis istis , *Hoc est corpus meum* , constituatur , in quo ipsa Corporis Christi substantia ore corporeo manducetur , ( ut Nicolai Papæ Canon , quem *Lutherus* approbavit , docet ) dentibus sumentium atteratur ? Id verò nos pernegamus : quoniam si illud admittatur , vel statuenda est localis Corporis Christi præsentia , ( quàm , ut absurdam , ipsi quoque Adversarii rejiciunt ) vel Corporis Christi , quod Carne & ossibus constare & circumscriptum esse ipsemet testatur , veritas abneganda est , quâ sublatâ , ipsa quoque substantialis & oralis manducatio non potest consistere , &c.

Nunc id tantum contendimus , controversiam hanc non tanti censei debere , ut propter eam , tanquam impii & sacrilegi , proscribendi & ab Ecclesie societate excludendi simus. Nam ut iis , quæ modò dic-

ta



ta sunt , hoc quoque addamus , duo sunt potissimum , omnium consensu , in Sacramentis spectanda , Signa & Res signatae . De Signis nulla nobis cum quoquam eorum , de quibus nunc agimus , lis est : Nec enim illa abolemus , ut Papistae cum sua Transsubstantiatione faciunt ; neque sua dignitate ea spoliamus , ut Anabaptistae , qui tantum externas Christianae professionis tesseras esse volunt . Quoad verò Res signatas , Corpus & Sanguinem Christi , veram horum communionem constanter docemus , & asserimus animum nostrum non minus verè totum Christum Fide percipere & manducare , quàm corpus ore suo sumat signa externa , panem & vinum . Ad hanc verò manducationem non requirimus localem Corporis Christi praesentiam ; sed hunc , quoad corpus , in Coelis extra hunc mundum corruptibilem in gloria sua manere , & mansurum esse credimus , donec veniat ad iudicandum vivos & mortuos : nihilominus autem se nobis communicare , & à nobis per fidem manducari , non obstante locorum distantia , ut olim temporis intervallum non obstitit Patribus , qui ante Christum in carne nati vixerunt , quominus eandem escam spiritualem nobiscum comederint , & eundem potum spiritualem nobiscum biberint . Ut enim Fides substantia & essentia est rerum quae sperantur , argumentum item & demonstratio eorum quae oculis corporeis non videntur ; ita eidem praesentia sunt quaecunque nobis Deus in verbo suo , cui illa nititur , pollicetur & offert . Cùm verò hæc manducatio Carnis Christi , quae per fidem fit , etiam Adversariorum consensu , sola sit vivifica & salutaris , nosque illam semper confessi simus , & adhuc constanter confiteamur , non immeritò quærimus , quæ ratio Adversarios nostros moveat , ut nos damnent , eò quòd oralem illam & corporalem manducationem , quae ex Scriptura ostendi non potest , & veteri Orthodoxae Ecclesiae ignota fuit , neque salvos facit ( quandoquidem , ut ipsi contendunt , impiis cum piis & credentibus communis est ) probare non possumus ? An verò tam illis cordi sunt impii & à fide alieni , ut quia hos Corpus Christi realiter & substantialiter manducare negamus , nos damnandos putent , qui in æternum Dei Filium credimus , & de sacramentali , & spiritali manducatione Corporis Christi cum tota Ecclesia consentimus ? Cur ( inquam ) damnamur , cùm sententia nostra vera & sancta sit , & nostra verborum Christi interpretatio de spiritali Corporis Christi communionem , si non propria , pia tamen sit ? Certè si erramus , in eo erramus , quòd non intelligimus , neque cernere possumus novum hoc oralis manducationis mysterium ; in quo potius com-

com-



commiseratione digni eramus, ut infirmi Fratres, & adhuc rudes ad nova & veteribus inaudita mytheria.

E C C L E S I Æ T I G U R I N Æ

Pastores & Professores, *Epist. ad* Senatam Genevensem, *de negotio* Hier. Bolseci, *Medici Parisiensis*, qui Calvinii doctrinam de Prædestinatione impugnaverat, sub finem Anni 1551.

PIISSIMI ET CLARISSIMI VIRI, Domini colendissimi, Salutem & augmentum donorum Dei imprecamur vestræ pietati, per Jesum Christum Dominum nostrum. Legimus Literas Excellentiæ Vestræ, VIRI AMPLISSIMI, ac parati sumus fideliter ac animo lubenti inservire, & Ecclesiæ, & pietati vestræ. Intelleximus autem ante dies aliquot controverti de quibusdam Articulis in Ecclesia vestra, sed & sententiam super his nostram desiderari. Hanc ergo, qua potuimus brevitate, complexi sumus, facientes quod, pro gratia nobis à Domino Deo concessa, potuimus. Non ignorant Excellentiæ Vestræ, dudum conscriptam & æditam esse inter vestræ Ecclesiæ Ministros, Fratres nostros charissimos, & inter nos, Consensionem in re Sacramentaria: in qua mox ab initio tantum etiam hujus negotii comprehendimus, quantum piis sufficere arbitrabamur. Neque aliter unquam in nostræ fidei commissis Ecclesiis docuimus, neque hodie diversum ab iis quicquam tradimus. Constituimus enim Electionem, qua Deus peccatores, & nihil boni meritos, in Christo elegit, omnino esse gratuitam, juxta illud Apostoli; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Item: *Elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ac prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum in sese, juxta beneplacitum voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ.* Deinde docemus, fidem, per quam Christi efficiamur participes, merum esse Dei donum, utpote quam donat ipse Pater cœlestis, ne quis, coram Deo gloriatur, sui filii dilectissimi respectu, ita ut initium & progressus, breviter omnia fidei, sint divinæ gratiæ munera. Cæterum, viribus nondum renati hominis nihil attribuimus, nisi corruptionem, culpam & pœnam; Renovatis verò Spiritu Dei hominibus, propter Spiritum gubernantem, tribuimus voluntariam & bonam operationem: ita tamen, ut in reliquiis carnis nostræ, donec

nec



nec in hoc sæculo viximus , semper inveniatur gratia quod operetur ac diluat, juxta illud Apostoli ; *Idem ego mente servio quidem Legi Dei, carne verò Legi peccati.* Item : *Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis nostra idoneitas ex Deo est.* Et iterum : *Deus est, qui operatur in nobis velle ☞ perficere, pro bona sua voluntate.* Porro, quòd Reprobi Verbo Dei non credunt, sed impiè contra Deum & Verbum ejus vivunt, id quidem ipsis, non Deo, imputari debet. Deus enim immaculata via ejus, qui iniquitatem non vult, sed justus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Ergo qui pereunt homines, suâ culpâ propriâ pereunt. Cujus quidem generis non disparia ante biduum scripsimus Fratribus nostris, Ecclesiæ vestræ Ministris.

Errat Hieronymus, nec rectè beatæ memoriæ *Zuinglii*, Doctoris Ecclesiæ nostræ fidelis, sensum & mentem intellexit, si putat illum docuisse, Hominem necessitate adactum, adeoque à Deo compulsum, peccare. Ut enim hujus aliquid ferè colligi posse videatur Libro ejus de Providentia Dei, alii tamen ejus Libri etiam consulendi sunt, quos ante & post illum edidit : in quibus disertè culpam peccati non derivat in Deum, sed ex humana corruptione & affectu ultroneo. Vivimus adhuc multi, qui ipsum audivimus concionantem, ac scimus illum semper religiosè de hoc negotio fuisse locutum.

Hæc paucula Vestræ Excellentiæ respondere, & quid nobis videatur recolligere voluimus, obsecrantes pietatem vestram, ut hoc officium nostrum boni consulatis, &c. Tiguri, 1. Decemb. Anno 1551.

VESTRÆ EXCELLENTIÆ dediti. Pastores ☞  
Doctores Ministri Ecclesiæ TIGURINÆ.

## ECCLESIÆ BERNENSIS

Pastores *Epist. ad* Pastores & Professores Gene-  
venses, *de eodem negotio.*

Gratiam & Pacem à Domino, &c. Condolemus Ecclesiæ vestræ, Domini ac Fratres plurimùm observandi, propter offendiculum dissidii, quod per spiritum contentionis nuper apud vos est, in turbulèntis alioqui & plus æquo afflictis hisce Ecclesiarum Christi rebus, excitatum, quo de nobis significandum, & tenuitatis nostræ sententiam  
O ad



ad hoc requirendam esse duxistis, ut Hieronymus ille, quem turbas altercationum insyncero dogmate suo in Ecclesia vestra movisse scribitis, eò faciliùs ad conciliationem & consensum induci possit. Qua in re studium vestrum probamus, quòd dissidia doctrinæ in Ecclesia Christi haud ferenda esse judicatis, & de tollendis illis, non solum cum vestris, quos tamen habetis doctissimos, sed & cum aliarum Ecclesiarum Ministris consultatis. Quid enim minùs ferendum est, quàm Ecclesiæ Christi in causa veræ Religionis ac doctrinæ pacatæ turbatio? Rursùs, quid hoc nostro sæculo, tam multarum opinionum feraci, proclivius est, quàm ut subinde exoriantur peregrinorum dogmatum authores? Quare non immeritò à fidei Christi Ministris requiritur, ut pro grege sibi commisso vigiles servent custodias. Illud tamen etiam atque etiam videndum esse sentimus, ne quid severius statuatur in errantes, ne, dum dogmatum puritatem immoderatiùs vindicamus, à regulâ Spiritûs Christi deficiamus, hoc est, charitatem fraternam, unde Discipuli Christi censetur, ad sinistram declinantes, transgrediamur. Amica Christo veritas, sed amicæ quoque sunt Christo ovium ipsius animæ, non modò in veritate sine offensione ambulantes, sed & per devia errantes; imò harum curam, juxta parabolam Evangelicam, impensiolem optimus Pastor gerit. Scitis hoc ipsi. Non docemus ignorantes, sed admonemus scientes. Sic comparati plærumque sumus, ut dum summo studio veritatem doctrinæ Christi tuemur, id quod in hujusmodi dogmatum dissidiis usu venire solet, minùs observemus quid Spiritus charitatis ac Christianæ mansuetudinis requirat, sed fervore ac studio retinendæ veritatis in diversum ab eo quod discipulos Christi decet abripiamur, quasi studium servandæ charitatis cum zelo veritatis consistere nequeat, cum utriusque conjunctio ex ipsissimo Christi spiritu nascatur, quo ut nihil est à mendacio alienius, ita nihil est etiam charitati atque mansuetudini addictius. Laudamus in vobis retinendæ veritatis studium, oramusque Deum, ut quemadmodum vos in veritate sua sanctificavit, ita in illa ad finem usque, cum vestrò, tum aliorum multorum bono, contra omnis mendacii principem, illibatos conservet. Simul tamen obsecramus, ut cogitatis, quàm sit proclive ad errandum hominis ingenium, rursùs quàm sit generosum, ideóque faciliùs in ordinem mansuetudine spiritûs reducatur, quàm severitate trahatur. Et ut ad causam veniamus, de qua inter Vos & Hieronymum orta est contentio, clam vobis non est, quàm multis illa bonis viris negotium fecerit, de quibus aliàs non adeò malè sentiri potest; qui, dum legunt in S. Scripturis eas sententias,

tias,



tias, quæ gratiam Dei universaliter erga quosvis deprædicant, tanto non sunt iudicio præditi, ut divinæ electionis ac prædestinationis veneranda mysteria, deinde & humanæ mentis cœcitatem ac depravationem ritè intueantur & agnoscant, sed hærent in prædicatione universalis gratiæ ac bonitatis Dei, sentiuntque non posse Deo tribui, quòd quemquam mortalium reprobet, induret, & excœcet, nisi cum inferenda blasphemia dicturi simus, esse illum simul & cæcitatibus & perditionis humanæ, adeòque & omnium quæ admittuntur peccatorum authorem. Sic retinent hos locos; *Quid tibi facere debui, quod non feci? Et, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Et, Utinam populus meus audisset, & in viis meis ambulasset. Et, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, Et, Vos semper Spiritui sancto resististis. Et, Perditio tua ex te, Israël. Et, Ezech. XX XIII. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Et Matth. XI. Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. Et Joan. III. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Rom. III. Justitia Dei in omnes, & super omnes, qui credunt. Et Cap. X. Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum. Et non est acceptio personarum apud Deum. Et Cap. XI. Conclufit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Et I. Tim. II. Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et 2. Petr. III. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hujusmodi sententiis sic inhærent pleriquè non adeò mali viri, ut interea causam prædestinationis divinæ puris fidei oculis intueri nequeant. De qua non frustra monuerunt quidam, ob id cautiùs esse, atque circumspectiùs dicendum, quòd sit illa non lac infantium, sed cibus adultorum. Et hic Hieronymus satis declarat esse se ex imbecillioribus, dum se in arcanum consilium Dei ingressurum negat. Admonemus ista, non eam ob causam, quòd aliena sint à vestra ipsorum conscientia, sed quoniam sententiam nostram requirere voluistis, ut tanquam fideles in domo Dei, afferamus in medium, quod potissimum ad pacem & ædificationem Ecclesiæ vestræ, deinde & ad Hieronymi illius mentem ad spiritum confessionis inducendam, facere posse judicamus. Est nobis ille prorsus ignotus; sunt tamen qui prædicant eum non esse virum adeò malum. Optaremus & vobis & illi, ut per spiritum Christi verâ & sententiarum & affectuum confessione jungeremini. Videtur in illius responsis, quæ misistis, haud adeò exigui esse momenti, quòd primùm tribuit Deo electionem ex



hominibus, deinde eorum quos voluit, tertio in Christo, quarto nullius nostri boni, sed merae suae gratiae respectu; Praeterea, opus esse speciali gratia & attractione ad credendum; Et Deum per Christum reformare mentes hominum, & dare corda carnea, amareque nos ac fidem dare, priusquam à nobis ametur, idque ex paterna misericordia. Per haec veluti principia, si abesset studium contendendi, facilis esset ad ulteriora transitus. Sed orandus est Dominus qui solus aperit mentes Mortalium, ut & vobis animum det lucrificandis errantibus indefinenter deditum, & illius mentem ad id instituti reddat accommodam, quò, uno corde & spiritu, gloriam gratiae ipsius ad multorum aedificationem deprædicetis. Quæ scripsimus boni consulite, Domini & Fratres colendi. Commendamus nos & Ecclesias nostras charitatis vestrae precibus. Datae Bernæ, 7. Decemb. ann. Dom. 1551.

*Ministri Verbi & Professores Ecclesiae BERNENSIS,  
in fide ac veritate Christi consortes:*

## ECCLESIAE BASILEENSIS

Pastores & Professores, *Epist. ad* Pastores & Professores  
Genevenses, *de eodem negotio,*

S. Accepimus Literas Magistratûs vestri, Fratres in Domino Venerandi, legimus, & expendimus, pro temporis ratione satis. Doluimus autem, quòd Satan in Ecclesias pias zizania subinde spargit indefessus, & concordiam tentat perturbare, magno cum periculo gloriae Dei; &c.

Ædidimus jam olim Confessionem Fidei nostræ, & ea hætenus fuit inculpata. Sicut igitur in illa omnia tractamus simplicissime: ita & de Electione, ubi locus est, agimus orthodoxè. Libet ea de re vel verbo dicere sententiam nostram. *Elegit nos Deus in Christo Jesu ante constitutionem mundi*, Eph. I. Mittit Verbum Evangelii, quod est de Christo filio Dei vivi: Qui hunc fide recipit, servatur: Qui non recipit, condemnatur. Marc. ult. Verbum illud mittitur per mundum univèrsam; *vult enim Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 1. Tim. II. Communis est Deus omnium; Communis est Christus servator omnium. Cæterùm non omnes credunt, qui audiunt. Non trahit omnes Pater: Christus enim ait, Joan. VI. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me,*  
tra-



*traxerit eum* : *Scriptum est enim in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo.* Quos igitur trahit, credunt; Quos non trahit, non credunt: & in his sunt qui trahuntur, ut diximus, & tamen non credunt, eò quòd tractum renuunt. Faciunt quod Christus dicit, Joh. III. *Hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Voluptas in peccatis placet, ut vitam, quæ est secundùm Deum, planè contemnant. Tales itaque dum condemnantur, causa sunt propriæ condemnationis: Sicut qui servantur, habent cur & cui gratias agant: Potuissent enim non trahi. Dum igitur hi gratias agunt, qui tracti sunt efficaciter: alii videntur habere quod queritentur contra Deum, quòd non sint tracti cum effectu bono. Hic verò dicimus: Patet quidem quod fit: Cur autem fiat, occultam habet causam: quam solus novit Deus, nec nobis perscrutanda est. Illud verò constat, eos recusasse verbum deprædicatum, eò quòd contrarium erat ipsorum studiis. Reliqua quæ videntur hic esse in dubio, Domino Deo permittimus, & à nobis sobriè inquirenda: & si quid rectè voluerimus ad quietem nostram nosse, decere, ut non à præscientia Dei, nec à prædestinatione & electione, nisi prout opus est, quemadmodum paucis indicavimus, sed à fide incipiamus, præsertim dum docemus simplices, ne implicentur dubitationibus, à quibus possent seduci; sed precibus pro fide acquirenda inniti, & ea quidem efficaci per opera. Videtis ergo simplicitatem nostram in hac quæstione, quâ major esse in Religione haud potest, & magis intricata. Rogamus itaque Dominum, ut in eadem simplicitate nos retineat in finem usque. Interea verò nolumus pertinaciæ accusari; si quis ex Verbo nos erudire poterit meliùs, procul obtemperabimus, & quidem prompti. Sic responsum volumus ad Literas, quæ satis planæ sunt: — Nihil ad nos, quod *Valla* dictum torquet, nescimus quo. Nos enim Deo non tribuimus, nisi misericordiam & bonitatem, & quæ his similia. Ingenuè ergo dicimus, eligi nos in Christo; sic dictum est, fidem sequi verbum auditum & receptum: Hanc qui habent & retinent in finem usque, salvos fieri: Qui non habent, condemnari. Ante constitutionem enim mundi si electio facta est, ita fieri necesse est. Quærat igitur homo ille alios, qui erroribus ejus patrocinentur: nos sumus aliter instituti ex Verbo Dei: Adserimus igitur nos justificari fide, quâ mediâ Christum facimus nostrum, unâ cum omni merito passionis ejus, ut convenit Electis Dei; elegit enim eos in Christo. Non justificari, quibus ea fides deest; quia & electio deest, & adoptio filiorum, &



quid ad hæreditatem regni pertinet. Habetis igitur, quæ dare placuit ad Literas vestras. Arbitramur autem nihil esse quod Vos possit offendere; aut quod non sit Catholicum. Boni igitur consulatis brevitate & simplicitatem nostram, &c. *Basileæ*, 28. Novemb. An. 1551.

*Nomina Pastorum & Professorum &c.*

## BULLINGERUS

*Ecclesiæ Tigurinæ Antistes ab an. 1531. usque ad an. 1575. & Author Confessionis Helveticæ.*

Decad. IV. Serm. I.

Et quamvis ex his omnibus utcunque colligi possit, quorum sit illa salus, & quibus annuncianda videatur gratia, res tamen ipsa postulat, ut expressè & disertè ostendamus, Christum & Christi gratiam Evangelio allatam vel annunciatam pertinere ad omnes. Minimè enim fingere oportet, duos esse in Cœlis positos libros, in quorum altero inscripti legantur salvandi, ac necessitate quadam irrefragabili quidem salvandi, utcunque reluctentur Verbo Christo, & atrocia designent flagitia; in altero autem consignatos contineri damnandos, qui non possint non, quantumvis religiosè vivant, damnari. Teneamus potius sanctum Christi Evangelium generaliter universo mundo prædicare gratiam Dei, remissionem peccatorum, & vitam æternam. In hac verò sententiâ oportet confirmare mentes Verbo Dei, collectis aliquot Scripturæ Sanctæ locis claris, & minimè dubiis aut obscuris. Cujus quidem generis sunt illæ sententiæ, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes orbis*, Gen. XXII. *Omnis qui invocârit nomen Domini, salvus erit*, Joelis II. &c. Si verò rogas quâ fiat quòd non omnes salvi fiant, cum Dominus velit *omnes homines salvos fieri*, & *ad agnitionem veritatis venire*? Respondet Dominus in Evangelio, & ait, *Multi quidem sunt vocati, pauci verò electi*. Id quod adhuc clariùs & pleniùs exponit Lucæ XIV. ubi reddit causas in parabola, quare bona hominum pars salutem æternam non consequatur, quia terrena periturâque præfert cœlestibus. Alius enim aliud suæ prætexebat inobedientiæ. Hic villam emerat: ille juga boum; erat qui uxorem duxisset. Ita in Evangelio secundùm Joannem, dicit Dominus, *Hæc est condemnatio,*

tio,



*tio, quòd Lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quàm Lucem, &c.*

Ibid Serm. 4.

Prædestinatio decretum Dei æternum est, quo destinavit homines vel servare vel perdere, certissimo vitæ & mortis termino præfixo. Unde & Præfinitio alicubi eadem appellatur. De his disputatur variè, & à multis quidem satis curiosè & spinosè, ac ita quidem, ut non solum animarum salus, sed & gloria Dei apud simplices veniat in periculum. Religiosi Scripturarum scrutatores vel interpretes agnoscunt hîc nihil permittendum esse humano ingenio, sed à pronuciatis Scripturæ simpliciter pendendum; agnoscunt modum, ut in rebus omnibus, ita in hac imprimis servandum. Perpetuò itaque hæc S. Pauli verba oculis & mentibus ipsorum obversantur: *O altitudo divitiarum* &c. Illi ipsi nunquam obliviscuntur admonitionis sapientissimi Viri Jesu Syrach, dicentis; *Alia te ne quæsieris* &c. Interim verò nec contemnunt nec negligunt ea quæ de hoc negotio Deus servis suis per apertas Scripturas revelare dignatus est. Præscientiæ Dei multa existant præsertim in Prophetiâ Esaiæ &c. testimonia. Cæterum ab æterno immutabili consilio præfinivit Deus, qui salvari, qui ve daminari debeant. Finis autem, sive decretum vitæ & mortis breve est & omnibus piis perspicuum. Finis Prædestinationis vel præfinitionis, Christus est Dei Patris filius. Decrevit enim Deus servare omnes quotquot communionem habent cum Christo, Unigenito Filio suo; perdere autem omnes quotquot à Christi Filii sui Unici communionem alieni sunt. Communionem verò cum Christo habent fideles; alieni à Christo sunt infideles. Nam Paulus in Epist. ad Ephes. *Elegit nos Deus, inquit, in Christo* &c. Proinde quicumque in Christo sunt, electi sunt. Nam & Joannes Apostolus dixit: *Qui habet filium, vitam habet*; &c. Proinde si me roges, an electus sis ad vitam, an prædestinatus ad mortem, hoc est, an sis de damnandorum, an salvandorum numero, simpliciter ex Scriptura Evangelica & Apostolica respondeo: Si communionem cum Christo habes, prædestinatus es ad vitam, & es de numero Electorum: si verò alienus es à Christo, utcunque videaris pollere virtutibus, prædestinatus es ad mortem, ac præscitus, ut aiunt, ad damnationem. Altiùs & penitiùs in confessum divini consilii subrepere nolo. Atque hîc repeto superiora Scripturæ testimonia: *Deus prædestinavit nos, ut adoptaret in filios* &c. Fides



des ergo certissimum signum est quòd Electus sis ; dumque vocaris ad communionem Christi , & fidem doceris , electionem & benevolentiam suam erga te declarat benignus Deus. Sanè perquam graviter tentantur & exagitantur quæstione Electionis simplices. Conatur enim Diabolus ingerere ipsorum mentibus odium Dei , quasi invidet nobis salutem , destinâritque morti. Hoc ut facilius persuadeat nobis , improbè fidem nostram labefactare contendit , quasi dubia sit nostra salus , quæ incertæ Dei electioni innitatur. Contra ignita hæc tela muniant Servi Dei pectora , hujusmodi ex Scriptura petitis cogitationibus , adeoque consolationibus. Prædestinatio Dei nulla innititur aut movetur vel dignitate vel indignitate nostra ; sed ex mera gratia & misericordia Dei Patris , in solum respicit Christum. Et quoniam in hunc innititur salus nostra tantum , non potest non esse certissima.

——— Quid ergo non polliceamur nobis de tam benefico Patre ? Neque enim conqueri poteris tibi non esse datum filium , vel tuum non esse , quem dicit Apostolus datum pro nobis omnibus. Quinimò ipse Dominus in Evangelio clamans dicit ; *Venite ad me omnes , &c.* Et iterum ad Discipulos : *Ite in mundum universum , & predicare Evangelium omni creaturæ , &c.* Unde & Paulus dixit ; *Servator noster Deus vult omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire ; &c.*

Scio quid hîc denuò angat multorum mentes ; Oves , inquiunt , Christi electæ agnoscunt vocem Christi , firmâque fide præditi indivulsè inhærent Christo , utpote qui tractum illum senserunt divinum , de quo Dominus in Evangelio ait : *Nemo venit ad me , nisi Pater meus traxerit eum* : Ego verò ut hujusmodi tractum non sentio , sic plenâ fide Filio Dei non inhæreo. Sanè requiritur imprimis vera Fides ab Electis. Electi enim vocantur , vocati verò fide vocationem recipiunt , ac se accommodant vocanti —— Porro nisi trahamur à Patre Cœlesti , credere non possumus. Curandum autem etiam atque etiam , ne vanas opiniones de tractu illo divino concipientes , ipsum negligamus tractum. Equidem violenter traxit Paulum , sed non omnes ad se crinibus trahit. Sunt & alii modi quibus hominem ad se ducit , non autem ut truncum attrahit. Apostolus Paulus , *Fides* , ait , *ex auditu est , auditus autem per Verbum Dei.* Trahit ergo Deus , cum annunciat tibi per Servos suos Evangelium , cum tangit cor , cum ad preces te excitat , quibus illius gratiam & auxilium , illuminationem & tractum implores. Hæc cum in animo sentis , noli alium expectare tractum , noli contemnere oblatam gratiam ; sed utere præsentis , & ora pro gratiæ augmento. Piè etenim ad majora & perfectiora subinde aspiras ; interim tamen

tamen



tamen minora non est quòd asperneris. In Evangelio secundùm Matthæum, ampliores opes recipiunt, qui, pauculis talentis acceptis, fideliter negotiati fuerant. Qui verò spreverat talentum creditum, & ignaviæ suæ nescio quid curæ prætexebat, graviter accusatur; imò pecuniâ semel datâ iterum spoliatur, & conjicitur in æterna tormenta, vinculis constrictus condemnationis. Quinimò in genere pronunciat Dominus: *Omni habenti dabitur & abundabit. Qui verò non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo.* Habet autem qui gratiam Dei agnoscit, magnificat & excolit. Ei additur ad cumulum gratiarum, ac redditur abundantior. Non habet, qui dona Dei non agnoscit, & subinde alia nescio qualia imaginatur, interim gratiam acceptam & præsentem non excolit. Et hi ferè prætexere solent, tractum sibi nondum obtigisse, ac periculosissimum esse cum donis Dei negotiari. Multò autem aliter S. Paulus judicans, dicit; *Quin & adjuvantes obsecramus, ne in vacuum Dei gratiam receperitis.* Et ad Timotheum; *Commonefacio te, ut suscites donum Dei quod est in te.* Non quòd sine Deo aliquid ex nobis ipsis possimus, sed quòd nostram operam requirit Dominus, quæ tamen non est extra & sine ejus auxilio & gratia. — — Teneamus nos firmiter pectoribus nostris impressum, Deum nos elegisse in Christo, & propter Christum prædestinasse ad vitam, ideóque fidem in Christum & donare & augere petentibus, eundemque ut petamus inspirare. Omnia enim Salutis nostræ, gratiæ sunt divinæ; nihil nostrum præter opprobrium.

Idem, Orat. de *Moderatione servanda in negotio Providentiæ & Prædestinationis*, quæ exstat. *Hotting. Hist. Eccles. tom. 8.*

Nemini enim sese subducit bonus Dominus; apparet omnibus secundùm mensuram & voluntatem suam æquam & bonam; aperit se omnibus. Nemo prorsus inanis & indonatus abit; sed non omnes recipiunt, aut certè æstimant, pro dignitate, Dei gratiam: unde etiam suâ excidunt culpâ. Sic enim dixit apud Matth. XXV. Dominus: *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos &c.* Audimus Hierosolymitanis sæpiùs & abundantius oblatam esse gratiam; verùm hanc ab illis esse neglectam, repulsamque. Nam apud Joh. III. idem Dominus, *Hæc*, inquit, *est condemnatio, quòd Lux venit in mundum &c.* His congruit quod Paulus, 2. Cor. I. in hæc scripsit verba: *Deus jussit &c.* Quòd autem multi apertam veritatem videre nolint, quòd oculos comprimant, & lucem in luce desiderent, mali-

P

tia



tiæ humanæ est. Huc nimirum illa pertinet Paulina sententia, 1. Tim. II. *Deus vult omnes homines salvos fieri, &c.* Quæ sententia paulò post ab eodem clarioribus verbis effertur ad hunc modum; *Deus est servator omnium hominum, maximè fidelium*; 1. Tim. I. hoc est; Deus, quod ipsius attinet naturam, bonus est, & salutem suam omnibus offert mortalibus: Sed Fideles illius tantùm fiunt participes: Infideles suo vitio excidunt. Inde enim & in Evangelio dixit, Matth. XX. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hic verò recurrit denuò ad quæstionem curiosus auditor, & quærit; *Si salute à Deo oblata soli participant fideles, quomodo vult Deus omnes homines salvos fieri?* Paulus enim 2. Theff. III. inquit, *Non omnium est fides.* Quod si omnes vult salvos fieri, quare non dat omnibus fidem? Si non dat omnibus, certè non vult omnes salvos fieri. Per fidem enim salvamur, non per opera. Si verò omnibus dat, quare non veniunt omnes? *Omnis enim*, ait Dominus Joh. VI. *qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Jam si omnes homines ad Christum non veniunt, (ut certè magna pars non venit,) non didicerunt omnes; si non didicerunt omnes, quomodo salvos vult fieri omnes? Equidem didicerunt omnes à Patre, quotquot veniunt ad Christum. *Nemo autem venit ad me* (ait Christus,) *nisi Pater meus traxerit ipsum.* Qui autem non veniunt, non quòd nihil omninò vel audierunt vel didicerunt; sed ideò quòd non ita didicerunt, ut discere oportuit. Est in urbe Mathematicarum Disciplinarum, Professor, & solus quidem, non alius. Post hunc non est qui illis imbutus sit disciplinis. Hic verò ad disciplinas omnes has invitat, profiteatur has: accedit Discipulorum grex, audiunt & discunt omnes, ut quidam & ipsi has profiteantur. Jam qui in urbe Mathematicam docti sunt, illius institutione docti sunt: Et cùm profitentur, & Mathematices imperiti rectè dicuntur, non ideò imperiti sunt, quòd non didicerunt, sed quòd non ita, ut oportuit, didicerunt. Quantum ergo ad Præceptorem attinet, voluit omnes ad cognitionem Mathematices venire. Quòd autem non omnes venerunt, non sua id culpa factum est, sed eorum, qui non ita ut oportuit didicerunt. Itaque culpa semper hæret in homine, non ipso Domino. Christi Ecclesiæ Doctores noluerunt hæc scrutari curiosiùs. *Ambrosii* verba ex 1. Cap. Lib. II. *de Vocatione Gentium* nunc recitabo, *Remotis*, ait, *abdicatisque omnibus concertationibus, quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac questione debeat inhereri. Unum quòd profitendum est, Deum velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Alterum, quòd dubitandum non est, ad ipsam ve-*  
*ritatis*



ritatis & salutis perceptionem non suis quenquam meritis, sed ope atque opera divina gratiæ pervenire. Tertium, quòd confitendum est, altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse, & cur non omnes salvet, qui omnes vult salvos fieri, non oportere disquiri, &c. — Cæterum, ut planius & fusiùs de eadem re differamus, Deus omnes vult salvos fieri; omnes, inquam, qui juxta propositum ejus electi sunt. Propositum verò Dei est, quòd in Christo salvos vult facere credentes, damnare diffidentes. — Audimus igitur propositum Dei id esse, quòd Deus per Christum salvos faceret fideles. Constat autem, quòd fides ex auditu sit, Rom. X. *auditus autem per verbum Evangelii*. Eodem ergo in proposito statuit consilium id suum in Evangelio invulgare. Cùm verò id non uni alicui genti, sed toti orbi prædicari præcepit, quis tam audax, ut de Prædestinatione curiosius disputans, quenquam audeat ex hoc Dei proposito, fide & Evangelio, excludere? Nos certè nec possumus, nec debemus, aliter de negotiis Dei & salutis nostræ loqui & credere.

**CONFESSIO** oblata à Beza & Farello *Conventui*  
Wormatiensi, nomine ECCLESiarum GALLICANA-  
rum & HELVETICARUM, Anno 1557.

Profitemur ergo in Cœna Domini, non modò omnia Christi beneficia, sed ipsam Filii hominis substantiam, ipsam (inquam) veram carnem quam Verbum æternum in perpetuam personæ unitatem assumpsit, in qua natus & passus pro nobis resurrexit, & ascendit in cœlum, & verum illum sanguinem, quem fudit pro nobis, non significari duntaxat, aut symbolicè tantùm, aut figuratè vel typicè, tanquam absentis memoriam, proponi, sed verè ac certò repræsentari, exhiberi, & applicanda offerri, adjunctis ipsius rei symbolis minimè nudis, sed quæ, quod ad Deum promittentem & offerentem attinet, rem ipsam semper verè & certò conjunctam habent, sive Fidelibus, sive Infidelibus proponantur. Jam verò modum, quo res, id est verum Corpus & verus Sanguis Domini, cum symbolis copulatur, dicimus esse symbolicum sive Sacramentalem. Sacramentalem autem modum non vocamus, qui sit duntaxat figurativus, sed qui verè ac certò sub specie rerum visibilium repræsentet, quod Deus cum symbolis exhibet & offert, nempe quod superiore Articulo diximus, ut appareat nos ipsius Corporis & Sanguinis Christi substantiæ præsentiam in



Coena retinere & defendere. Et siquid nobis fortè cum verè piis ac doctis controversiæ est, non de re ipsa, id est, de præsentia, sed de modo præsentia duntaxat, qui soli Deo cognitus est, à nobis autem, creditur, disceptatur.

Quod attinet autem ad modum, quo symbola nobiscum communicantur, Physicum eum esse dicimus: Nam physicè illa visibilia & palpabilia sumimus.

Denique quod attinet ad modum, quo res ipsa, id est, naturalis illa ac vera Christi substantia, verè ac certò nobiscum communicatur, non facimus eum Physicum, nec localem conjunctionem imaginamur, aut diffusionem Humanæ Naturæ Christi, aut crassam illam & animalem commixtionem substantiæ Christi cum vera substantia panis, aut Papisticam Transsubstantiationem; sed Spiritualem eum modum esse dicimus, id est, qui nitatur una incomprehensibili Spiritûs Dei veritate, quam nobis in hoc verbo patefecit; *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus.*

Obtestamur autem omnes Fratres, veræ pietatis ac concordiaæ amantes, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, cogitent ecquid oporteat illos, qui de Christi Sacramentis ita sentiunt ac docent, pro infidelibus ac Hæreticis traduci.

**ANTONIUS BORBONIUS**, *Navarra Rex,*  
*apud Thuanum, Lib. XXVII. ad Annum 1561.*

Ad hæc Navarrum respondisse, *Lutherum & Calvinum* in 40. capitibus à Pontifice dissentire, in 38. inter se convenire; duo tantùm superare, quæ inter ipsos convertuntur; ita autem censere, jungendas utriusque partis opes ac copias ad communem hostem opprimendum; quò debellatò, in duobus illis capitibus conciliandis, & Ecclesia Dei pristinae puritati ac splendori restituenda, minùs negotii fore.

**HENRICUS BORBONIUS**, *primò Navarra,*  
*deinde Gallia Rex, ejus nominis IV. in mandatis Dom. Segurio Pardaliano datis, cum eum ad Principes Germaniæ ablegaret, Anno 1583.*

Controversiam de Coena Domini non adeò difficilem, ut Synodo diri-



dirimi nequeat , duobus potissimum argumentis colligi. Prius est , quòd , cum tria sint , quæ in hoc negotio spectentur , symbolum scilicet , res exhibita , & fructus quem inde percipimus , in tribus illis omninò inter nos conveniat. Fatemur enim omnes Panem & Vinum esse symbola , Corpus & Sanguinem Domini rem exhibitam ; Fructum verò istum cum Paulo statuimus , ut fractio Panis & vini sit Corporis Christi participatio. Quod autem ad perceptionis modum , in quo hæremus , supernaturalem eum esse & spirituales , omnes etiam fatentur. Sed dum arcanum illum & ineffabilem modum nimis anxie nonnulli quærunt , plagas illas disputationum & controversiarum infelices nobis pertexuerunt. Hac verò de re minùs sollicitos nos esse debere , ipsius *Lutheri* testimonium admonet , qui , in Epistola ad Helveticas Civitates , se de modo laborare negat , dum de præsentia constat.

Alterum est argumentum , quòd nunquam istius dissensionis concordia serió quæsita est , quin Dominus Christiano illi conatui benedixerit , & ad optatum exitum suo sancto Spiritu perduxerit , ut ex colloquio *Lutheri* & *Zuinglii* , Anno 1529. & triennali illo 1536. 37. & 38. apparet ; &c.

Nam quòd ab illa pace & Ecclesiarum concordia utrinque postea discessum fuerit , importuna quorundam acerbitate , moerente ( ut fertur ) *Luthero* & bonis omnibus , factum est. Quod ne denuò contingat ( si conciliatio inter nos instituat ) Principum auctoritate & Magistratum officio præstari potest ; cum sit eorum muneris ejusmodi contentionibus litem ex lite ferentibus obviam ire , unde & plurimum discordiæ faces oriuntur , ædificationis verò ad Ecclesiam nihil.

Cum igitur diffidii illius conciliatio res sit , ut nobis quidem videtur , & per se facilis , & , omnium judicio , Christianæ Ecclesiæ pernecessaria ; hujus verò conficiendæ spes omnis & expectatio in Illustrissimis Germaniæ Principibus reposita ; optimos igitur illos Principes , & de Ecclesia tot nominibus benè meritos , hortabitur *Segurius* noster , ut auctoritatem sibi à Deo concreditam ad componendas exitiales illas dissensiones conferant.



D U M O U L I N ,

Ouvertures pour travailler à l'union des Eglises Chré-  
 tiennes, qui ont secoué le joug de la Papauté, &c.  
 l'an 1615.

§. Faut poser pour fondement, que travailler à l'union & accord des Eglises, est un travail utile, saint, & nécessaire, & quant à la possibilité, que nul accord ne se peut faire sans l'aide, assistance, & conduite des Princes Souverains, dont les Pays se sont retirez de la subjection du Pape, entre lesquels le Roi de la Grande Bretagne etant le plus grand & puissant, & outre cela, le plus clair-voyant, & le plus affectionné, est celui qui y peut le plus contribuër.

§. 4. Là ( dans une assemblée de Théologiens ) je ne voudrois point qu'on disputast de la Religion ; car depuis que les esprits sont échauffez, ils ne se rendent jamais, & chacun s'en retournant dit qu'il a vaincu ; mais je voudrois que sur la table fut mise la Confession des Eglises de France, d'Angleterre, d'Ecosse, des Pays-Bas, du Palatinat, de Suisse, &c. que de ces Confessions on taschat en dresser une commune, en laquelle on dissimulast plusieurs choses, sans la connoissance desquelles on peut être sauvé, comme est la question de Piscator, touchant la Justification, & plusieurs opinions subtiles proposées par Arminius sur le Franc-Arbitre, la Prédestination, & Perseverance des Saints ; estant certain, que tous les erreurs en la Religion sont venus, ou de vouloir trop sçavoir, ou de vouloir trop avoir, cest-à-dire, ou de curiosité, ou d'avarice, ou d'ambition ; le dernier mal a corrompu l'Eglise Romaine ; Mais Sathan tasche à corrompre les nôtres par le premier. Que si nous pouvons nous commander à nous mesmes d'ignorer plusieurs choses, & nous contenter des nécessaires à salut, & sur les matières non-nécessaires, supporter ceux qui ont un autre sentiment, nous aurions en cest accord fait une grande partie du chemin.

§. 13. Les points, sur lesquels les Eglises Lutheriennes discordent avec nous, sont de deux sortes ; il y en a sur lesquels il est plus aisé de s'accorder ; telles sont les ceremonies des Eglises Lutheriennes, lesquelles peuvent être excusées & tolerées, pource que ce sont choses qui concernent plus la bien-séance que la nécessité ; telles aussi sont quelques opinions sur le point de la Prédestination, sur laquelle j'estime qu'on peut aisement dresser un Article de la Confession commune que tous approuveront sans difficulté, pourveu qu'on evite la curio-



curiosité, ce que je croi avoir été fait par la Confession d'Ausbourg, laquelle en parle sobrement, & decline exprès cette question, &c.

§. 16. Quant au Sacrament & à la participation du Corps de Jesus Christ, j'estime qu'on pourra convenir de ces choses. 1. Que les signes ou symboles ne sont point signes nuds & simples figures destituées de la verité. 2. Qu'en la sainte Cene nous participons réellement au corps de Jesus Christ. 3. Que le pain ne se transsubstantie point, & ne laisse d'estre pain après la consecration. 4. Dont s'ensuit que le Sacrament ne doit être adoré, & que nous devons eslever nos cœurs en haut. 5. Et quant au moyen de participer au corps de J. C. en la Cene, ne s'en enquerir point scrupuleusement, seulement tenir avec l'Apôtre S. Paul, Ephes. I. que Christ habite en nos cœurs par foy; dont s'ensuit qu'il n'habite point en ceux qui n'ont point la foy. Que si quelqu'un est ferme en son opinion, que neantmoins il supporte ses frères, & ne les condamne point avec violence, seulement en ce dont nous sommes d'accord, marchons d'un même pied.

§. 17. Car il y a deux sortes d'erreurs, les uns qui consistent seulement en la croiance; les autres, qui outre la croiance y adjoustent quelque action extérieure: De la premiere sorte sont les erreurs sur la Nature de Jesus Christ, sur la Prédestination & sur le Franc-Arbitre; De la seconde sont la Communion sous une espèce, l'Adoration de l'Hostie, la Priere en Langue non-entendue de celui mesme qui prie. Les erreurs de cette derniere sorte, quoy que bien souvent moindres que les autres, divisent bien plus aigrement les esprits, & causent bien souvent un Schisme; Car si je communie au Sacrament avec un qui erre en la Prédestination, ou en la Nature de Jesus Christ, ou qui croit que le Corps du Seigneur est par tout, quoyque l'erreur soit grand, si est-ce qu'il ne trouble point celui qui communie avec luy. Mais, si je venois à communier avec quelqu'un qui adorast le pain, ou prétendit sacrifier Jesus Christ, ceste action me scandaliseroit, & me chasseroit de là, de peur de participer à l'idolatrie ou à un faux sacrifice. Or nous avons ce bien, qu'avec les Eglises Lutheriennes, tous nos differens sont de la premiere sorte; & que touchant les extérieurs qu'ils pratiquent en l'Eglise, nous n'avons nul different, qui ne soit aisé à composer.

## D A V E N A N T I U S,

*Episc. Sarisb. Epist. ad Duræum.*

Non est mei instituti in ipsas controversias me immergere; Doctissimos & Celeberrimos Ecclesiarum Germanicarum Theologos tantummodo



modò exoratos velim, ut pacificis animis & affectibus sedatis percurrant omnes quæ inter ipsos agitantur quæstiones. Peribit siquidem iudicium, si res transeat in affectum. Primaria & mater ferè reliquarum omnium, est illa quæ de modo præsentia Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia adhuc manet indecisa. Atque ad hanc quod attinet, post rem pensulatè consideratam, pronunciavit undecunque Doctissimus *Bucerus*, in re & animo fuisse concordiam, in verbis tantùm & loquendi modis aliquam varietatem. Dixit olim ipse *Lutherus*; *Si creditis & docetis in Sacra Cœna verum Corpus & verum Sanguinem Domini exhiberi, dari, & sumi, & non Panem & Vinum tantùm, & quòd hæc perceptio & exhibitio verè fiat, & non imaginariè, inter nos convenit.* Eodem tempore concessit *Bucerus* socciique ejus, verum Corpus & verum Sanguinem, cum visibilibus Signis Pane & Vino exhiberi, dari, & sumi. Scripsit olim *Jacobus Andrea*: *Neque cum Capernaitis sentimus, neque Transsubstantiationem Pontificiorum recipimus, neque physicam & localem Corporis & Sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam aut inclusionem statuimus. Neque vocabula illa, substantialiter, corporaliter, oraliter, quicquam aliud nobis nisi veram Corporis & Sanguinis in Sacra Cœna præsentiam & manducationem significant.* Jam quæ fuerit sententia Helveticarum Ecclesiarum audiamus. (Colloq. Momp. p. 16.) *Quamquam negant fieri Transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in Pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti, tamen concedunt Sacramentali Unione Panem esse Corpus Christi, & porrecto Pane, simul adesse & verè exhiberi Corpus Christi.* Non lac lacti similis, quàm est illa Helveticarum Ecclesiarum sententia sententiæ Lutheranae. Si quis tamen suspicetur sub hac verborum concordia latere adhuc posse aliquam sententiarum repugnantiam, illud nihilominus urgendum & quærendum, an ea talis sit tantique momenti, ut Ecclesiarum Pacem ac Unionem reddat impossibilem, schisma & dissociationem necessariam faciat & sempiternam. Scio doctissimis & solidissimis Theologis, extra partes & pulverem hujus discordiæ constitutis, longè aliter videri.

Jam quod spectat ad illas controversias, de Omnipræsentia Corporis Christi, de Idiomatum communicatione, aliisque, quas illa prior videtur peperisse, quisquis cum iudicio perpenderit, quid utrinque concedatur, quid negetur, perspiciet illicò nullum fundamentalem Articulum, sive ab his, sive ab illis, in dubium vocari, nedum oppugnari aut everti. Quicquid enim ab Ecclesia Catholica, in Symbolis Conciliisque Universalibus, hisce de rebus, damnatum est, id utri-  
que



que pariter rejiciunt & abominantur. Quòd autem per consequentiarum funiculos alii alios aliquando pertrahere conantur in lutum sordidorum Hæreticorum , id non tam mirandum quàm dolendum est. Novimus omnes disputantium iracundorum consuetudinem, præsertim postquàm diu contendendo cœperint vehementer incallescere, &c.

Si quæ aliæ de Prædestinatione , de Libero Arbitrio , aut consimilibus natæ sunt inter Ecclesias novæ lites, nullo colore obduci possunt, ad Ecclesiarum communionem impediendam. In hisce etenim omnibus, illud unicum ad Catholicam & fundamentalem Fidem spectat, ut Gratia Dei gratuita in Prædestinatione miserorum, conversione Peccatorum, liberatione Humanarum voluntatum, perseverantia denique & salute Electorum, ita plenè agnoscat, ut quicquid facit ad statum Gratiæ aut Gloriæ adipiscendum, quicquid in hoc ordine fit ab Hominibus, id totum Deo detur, ac Divinæ Gratiæ misericordiæque speciali assignetur. E contra quicquid ad Corruptionem Humanæ Naturæ, quicquid ad obstinationem in peccato, quicquid ad liberi arbitrii vitiositatem & servitutem spectat, quicquid denique ad æternam damnationem ducit miseros Mortales, & in gehennam præcipitat, id omne nobis nostrisque demeritis imputemus, & à Deo longè faceffere jubeamus.

Dum hæc fixa manent immotaque (uti revera manent) quamvis in doctrinis fundamento superstructis diversos habeant concipiendi aut loquendi modos, imò quamvis diversas sententias sequantur, non sunt hujusmodi errores adeò capitales, ut propter eosdem capitale odium inter Ecclesias foveri, aut perpetuum Schisma nutriri oporteat. Si ergo hoc semel constiterit inter Theologos, illorum lites non fuisse aut esse de Articulis Fundamentalibus, & cognitu ad salutem planè necessariis, simul constabit, non esse impossibile ut Ecclesiarum unio & communio redintegretur, perniciosum hoc Schisma protinus auferatur, & beata pax in posterum inter Ecclesias Germanicas sanctè conservetur.

Jam proximum est, ex quo vidimus hanc Unionem esse possibilem, ut consideremus, utrùm virtute Divini mandati, & debiti sui officii, teneantur Principes, Doctores, totusque adeò Populus Christianus, quisque pro virili sua, eniti, ut hæc fraterna inter Ecclesias Communio, quamprimùm commodè fieri potest, stabiliatur.

Omnes ad hoc esse obligatos primo in loco videtur innuere illud Paulinum; *Quoad fieri potest, & quod ex vobis est, cum omnibus Homi- nibus pacem habete.* Si tanto studio, Pax Civilis & externa inter omnes Homines conservanda est, procul dubio Spiritualis & Eccle-  
Q
fiasti-



fiastica inter Christianos Communio, multò majore est procuranda & fovenda, &c. 2. Huc accedit quòd omnes necesse habent confiteri, veram & genuinam Charitatem esse omnibus Ecclesiis & Christianarum Ecclesiarum Membris, non minùs ad salutem necessariam, quàm Fidei Orthodoxæ & salutiferæ veram & integram professionem, &c. Jam singulorum conscientiis relinquo judicandum, qualis tandem illa Charitas sit, quæ permittit Christianas Ecclesias, nullâ justâ causâ prohibitas, fraternitatis dextras mutuò abnegare, & ab ineunda unionè perpetuò abhorrere, &c. 3. Ad hæc videor mihi observâsse, tam eos qui *Zuinglianam*, quàm qui *Lutheranam* (uti vocare solent) doctrinam amplectantur, utrobique agnoscere, Ecclesias, quæ sive hanc, sive illam, tenent, manere veras Christi Ecclesias, sive vera, sub Christo Capite, membra Catholicæ Ecclesiæ, &c. 4. Porrò nullus dubito quin Ecclesiæ *Saxonica*, *Helvetica*, aliæque, quæ sive hisce sive illis adstipulantur, agnoscant se fraternam communionem cum hac nostra Anglicana, Scotica, Hibernica, aliisque apud exteros Reformatis Ecclesiis, habere ac retinere velle. Certè, ad nos quod attinet, quamvis non illis suffragemur in omnibus controversæ Theologiæ apicibus, Fratres tamen in Christo agnoscimus, ac fraternam & sacrosanctam nos habere cum illis communionem protestamur. Si autem ipsi pariter sint erga nos animati, qua æquitate Germanicæ Ecclesiæ sese invicem privant illâ fraternâ communionem, quam cum Exteris retinere non formidant? &c. *Denique*, quod à Deo Opt. Max. Pii omnes petere tenentur, & fervidis precibus exposcere, id procul dubio quòd fiat, tenentur studium suum operamque omnem conferre. Quis autem non in dies Deum sollicitat pro florente & tranquillo Ecclesiæ statu? Quis non orat, ut ea omnia, quæ turbant, vexant, deturpant, aut quoque pacto spiritualem Ecclesiæ ædificationem impediunt, è medio tollantur? &c.

Ibid.

Ad Rectores Ecclesiarum quod attinet, si hisce Fratribus infirmis prospectum cupiant, in Articulos Religionis, sive Confessionum Formulas, quas ab omnibus sibi subditis suscipi volunt & approbari, ne conjiciant minutos difficilium controversiarum apices, aut subtilium quæstionum decisiones. Quin potiùs attemperentur ad captum popularem, ædificationem indoctorum, salutem omnium, Perpendere oportet sapientiam Majorum nostrorum, quorum Confessiones  
anti-



antiquas, si, pacis turbandæ causâ, non interpolemus, & novis opinionibus fârciamus, nemo sanus invenietur qui illis lubenti animo non subscribat. Neque omninò opus est, ut talibus additamentis prægravemus publicas Ecclesiarum Confessiones, cum Deus ipse decreverit ad vitam beatam perducere Populum suum, non per difficultum & longarum quæstionum salebras, sed per complanatam & compendiarium viam Fidei & Charitatis. Quorsum igitur disceptationes & verborum pugnæ? Quid faciunt in Confessionibus Ecclesiarum subtilitates Scholasticorum? *Tota salus Christianorum consistit in credendo & colendo*, ut graviter olim dixit magnus *Athanasius*. Hisce accedit, quòd pacem vix ac ne vix quidem possunt cum aliis Ecclesiis minimè sibi subjectis inviolatam conservare, qui propter eandem doctrinam, quam illæ profitentur, sibi subditos persequi, & tanquam Hæreticos, à communione sua abscindere pertendunt. Viderentur profectò tacitè hæresin aliis Ecclesiis exprobrare, & hoc ipso factò innuere, quòd licèt ore illos pro Fratribus suis agnoscant, corde tamen ab iisdem valdè abhorreant. Denique, nisi Confessionum publicarum Formulæ ad doctrinas necessarias, & minimè controversas inter ipsos Reformatos, coarctentur, id inde consequetur incommodi, quòd multi Pastores, Docti, Pii, Pacifici, foras excludentur, nec poterunt Ecclesiis, in quibus vivunt inservire.

JOS. HALL, *Episc. Exoniensis*,

*Epist. ad Lud. Crocium Theol. Bremens:*

Utinam, ô utinam, Ecclesia Dei nostro hoc ævo ad Pacem se publicam (non seposito interim veritatis studio) unanimiter componeret! Video equidem & gaudeo, vos Professores doctissimos, celeberrimosque *Bremenses*, pium hoc, Deoque, Angelis, & Hominibus gratissimum opus promovere paratissimos esse. Id quod non modò ex *Duræo* meo, studiosissimo tanti beneficii parario, gratulabundus accepi, sed ex scriptis insuper vestris facilè præsentisco. Dolet mihi interim, quòd videam, præter iniquam temporum conditionem, quorundam pervicacem *φιλαυτίαν* sacrosanctum hoc cœptum aliquantulum remorari. Humanum profectò est, quod isti sapiunt. Ita nempe dediti sunt quidam, vel suis, vel præceptorum suorum opinionibus, partiumque studiis pertinaciter fovendis, ut ne verba quidem (rebus quantumlibet salvis) indulgere velint publicæ paci ac cha-

Q 2

ritati



ritat, Sanè, qui sic affecti sunt, precium Unitatis Evangelicæ planè videntur nescire.

Ibid.

Ad eundem video exitum veritatis Theologicæ tendere utriusque partis (putà *Lutheranorum & Reformatorum*) sententiam, non sine aliquo interim in via discrimine; non est, quòd de unoquoque vestigio nimium solliciti simus, qui post passus unius alteriùsve diversiunculam, idem omninò stadium emetimur. Mollior placet huic semita, illi calcata, vel silicea: rectà ducit utraque ad metam eandem. Quis isthic jurgio locus? Quòd si sua cuique, uti fit, placuerit sententia, nec quis cedere velit alteri, paulò aliter animi sui sensum exprimenti, litésque adhuc inter partes infeliciter continuentur; illud ego Fratribus meis cumprimis suaferim, (quod in omnibus hujus generis controversiis tutissimum utilissimumque semper expertus sum) ut ad generaliores quasdam enunciandi formulas confugiamus, neque ultra terminos ita fixos sinatur alterutrius partis discursus evagari. Quod de Doloso communiter dici solebat olim, liceat mihi de Pacifico dicere; versatur ille in generalibus, nec quid pensi habet ad specialissima quæque descendere; nempe ex imis illis conceptuum humanorum fractionibus ac divisiunculis, nimis quàm accuratis, oriri solent discordiæ inter illos, qui vel de proximis rerum capitibus perpacatè consentirent. Hac profectò ratione plurimæ, quibus Orbis Christianus miserè conflictatur, lites sopirentur. Cautè tamen isthic, & nonnisi summâ fide ac sanâ discretionem, procedendum est, ne fortè, dum Paci nimium intenti sumus, veritatis integritatem vel violemus, vel iniquè supprimamus. Ubi ergo de ipsis Christianæ Fidei capitibus, deque summa Religionis quæstio est, nihil non urgeri debet, in quo salus vertitur Hominis Christiani: nihil isthic non momentosum, & quovis dignum certamine videri debet: sed ubi de *Dogmatibus quibusdam* ferè adiaphoris, deque tricis, uti fit, *scholasticis*, à salutis, sive spe, sive periculo, longè alienis, disputatur, non est quòd nimis anxie singula disquiramus, & de minimis quibusque opinionum apicibus curiosiùs contendamus: sat erit in generalioribus quibusdam exprimendi modis conspirasse,

Ibid.

In re Prædestinationis, nihil nobis negotii esse debet cum arcanis  
Dei



Dei consiliis, sed secundum revelatam ejus voluntatem de nobis aliifve judicandum. Ita ergo nos gerere debemus in tota vitæ nostræ institutione, & in operando salutem nostram, ac si nulli occulto Dei decreto subessemus. Quid ad te, ô homo, quod in Cœlo statutum est? Fac tu quod sanctissimus ac justissimus Creator Redemptorque tibi injunxit faciendum: non potes non tutus & salvus esse: aliàs frustra es, qui tibi salutem polliceris. Sic itaque fidei, pœnitentiæ, bonisque operibus danda est opera, quasi ab illis unicè penderet Salus, & immunitas ab omni Reprobationis periculo. Sic cavenda infidelitas, omnisque Legis Divinæ certa lubensque violatio, ac si, sepositâ quâvis absconditi Decreti ratione, damnatio isthinc sequeretur. Qui secus fecerit, & à priori de æterna sui conditione judicium ferret, miserè abutetur secretis Dei consiliis, quæ silenter debuisset revereri.

*Dum* JOH. DURÆUS, *Theologus Scotus*, *incredibili studio ac diligentia*, *Concordiæ negotium per Europam promoveret*, *non privati modò Theologi immenso numero, sed Ecclesiæ & Academia Reformatæ penè omnes, propensissimum ad Concordiam animum Scriptis publicis testatam fecerè. Quo animo speciatim HELVETII & GENEVENSES fuerint, ex sequentibus colligere licet.*

*Declaratio Ampliff. HELVETIÆ REFORMATÆ MAGISTRATUUM, super negotio pacificatorio Domini Duræi.*

Posteaquàm Vir Reverendus & Clarissimus, D. *Johannes Duræus*, non solum à Venerandis & Clarissimis Ecclesiarum & Academiarum Angliæ Pastoribus & Doctoribus auctoratus, sed ab ipso etiam Serenissimo & Celsissimo D. D. *Olivario*, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Protectore, nobis commendatus, *Aroviæ* à Deputatis nostris auditus fuisset, nosque ex fida illorum relatione cognovissemus, ea de concordia Ecclesiasticæ negotio ab illo fuisse proposita, quæ per dilectos & fideles nostros Verbi Dei Ministros & Theologos scire & considerare permagni referret, consultum visum fuit ei suadere, ut illos adire, deque instituto suo cum illis conferre ne gravaretur. Id cum luben-



ter pariter ac feliciter jam præstiterit, &, quod sperabamus, à Ministris & Theologis nostris suffragia & studia concordissima, & judicia æquissima, unum imprimis omnium commune, impetrârit, & præfati insuper Serenissimi & Celsissimi D. D. protectoris verbis, ulteriùs à nobis petierit, ut auctoritatem rerum tractationi addamus, & non solum sensum de hoc instituto nostrum exponamus, sed etiam concursum ad rem promovendam talem declaremus, qualem hoc tempore Ecclesiæ Evangelicæ utilitas requirere videatur; non potuimus hisce postulatis non assentiri, & officii nostri, quod Magistratibus Christianis incumbit, memores, hac in parte bono publico deesse non debuimus. De hac igitur oblata nobis occasione, quâ communi Ecclesiarum Dei, & publico populi Evangelici commodo, nos quoque operam collocare nostram, cumque aliis, præcipuè autem cum Reipublicæ & Ecclesiæ Anglicanæ præcipuis Rectoribus, studium nostrum conjunctissimum testari possumus, impensè nobis gratulamur; deque pia illorum sollicitudine, qui cogitationes suas huc convertunt, ut luctuosis populi Christiani diffidiis, & Evangelicorum imprimis inter sese distractionibus medelam afferant, valdè lætamur. Fuit hoc ipsum Majoribus nostris, quorum illustria facta perpetuò imitanda nobis proponimus, inde à prima Reformatione curæ cordique, ut variis conatibus zelum suum hac in parte posteritati approbarent. Nec sine magna voluptate aliquot antè annis vidimus, negotium hocce in ipso motuum Germanicorum fervore, à Statibus & Theologis Evangelicis agitari, & per intervalla promoveri: uti apparuit; 1<sup>o</sup>. Ex *Colloquio Lipsiaco*, &c. Ac proinde, ut laudatissimo huic operi auctoritatem & concursum nostrum commodemus, declaramus unanimiter, curæ nobis fore, operamque nos duros, primùm ut prædicti nostri Ministri & Theologi in Concionibus & cæteris suis operibus, piorum suorum decessorum more, ab omni verborum acerbitate, in eos, qui diversimodè sentiunt, abstineant; & veritatis professionem, atque Spiritûs unitatem, in vinculo pacis retineant: quod ultrò bonâ fide se facturos pollicentur; Deinde ut vicinos nobis Evangelicos & amicos Status, ad idem propositum suscipiendum, & inter eos, qui illorum imperio subsunt, executioni mandandum, excitemus atque provocemus; ut mutua Christianæ & fraternæ fiduciæ officia, eò promptiùs & alacriùs inter omnes ejusdem fidei consortes, omni oblata occasione, præstentur; Postmodò ut Ecclesiarum nostrarum precibus, hoc concordia promovendæ studium identidem commendetur; Postremò ut in correspondentia super hac re, cum aliis omnibus pacificis,



ficis, religiosa procuranda, fovenda, & propaganda, nihil quod à nobis proficisci possit negligatur. Quæ quidem sincerissimæ nostræ declarationis summa sunt capita. Ad extremum, omnes, ad quorum notitiam hæ præsentès pervenient, observantiâ & respectu singulis debito, rogamus, ut & ipsi Irenica hæc studia sibi cordi esse permittant, & similes nobiscum resolutiones capeffant, deque nobis non aliter sentiant, quàm quòd in Dei timore, propter amorem, quem sermoni veritatis, seu Evangelio salutis, & charitatem, quam afflicti, & in summum passim discrimen adductis, Ecclesiis, nos debere agnoscimus, hæc quæ diximus, & religiosè promittamus, & re ipsa, Deo juvante, præstituri simus. In cujus rei fidem, hæc, secretiori Civitatis *Tigurinae* sigillo, nostrum omnium nomine, obsignari curavimus, 21. Aprilis, An. 1655.

*Declaratio* ECCLESiarUM & ACADEMIARUM  
HELVETIÆ REFORMATÆ.

Cùm Vir admodum Reverendus & Clarissimus D. *Johannes Dureau*, Theologus Anglus Celeberrimus, ad nos venisset, & nobis exposuisset, in animo sibi esse telam τῆς εἰρηνοποιίας inter Evangelicos obtinendæ, ante viginti annos à se orfam, nunc, auspiciis Ecclesiarum & Academiarum Anglicanarum, reordiri & pertexere, de illius adventu, ceu Angeli pacis, meritò nobis gratulati sumus, Deo Immortali, qui curam Ecclesiæ suæ nunquam deponit, gratias agentes, quòd, in tantis tamque diuturnis Ecclesiarum collisionibus, etiamnum nuntios mittat pacis, qui omnem suam operam in id impendant, ut vulneribus & schismatibus, quæ licet, quæ decet, mederi contentur, quò, dissidiis compositis, cum omni animi submissione, cum iræ cohibitione, alii alios sustinentes per charitatem, studeamus conservare unitatem spiritûs, per vinculum pacis.

Posteaquam ergo *Arovia*, in solennibus Procerum nostrorum Comitibus, Literis publicis, quas eo nomine habebat, expositis, instituti sui scopum exposuisset & tradidisset, Inclyti nostri Magistratus, à Dom. Legatis suis informati: pium ejus studium approbantes, auctores ei fuerunt, ut Ecclesias præcipuas inviseret, & cum Theologis suis super hoc negotio coram conferret & deliberaret. Quod tum ipse φιλadelphίας suæ testandæ causâ lubentissimè præstitit, tum nobis quoque pergratum & perjucundum accidit. Hac ergo occasione, ante omnia, propositum sibi scopum, quem ab eodem ante annos complures



plures acceperamus, denuò nobis aperuit, & communicavit, tum etiam media, modumque procedendi, per quæ scopus ille faciliùs obtineri, &, favente Deo, concordia tantoperè expetita sarciri possit, Scriptis peculiaribus obtulit: pensorum denique seu Scriptorum quorundam, ad idem hoc concordiaè studium feliciùs promovendum, elaborandorum, delineationem nobis exhibuit, à nobis petens, ut non solùm super his omnibus judicium nostrum ipsi declarem, sed etiàm, si quid circa illa fuerit monendum, aut si aliud quid suggerendum se nobis offerat, quod majore cum Evangelii & Ecclesiarum Reformatarum emolumento, aut tutiùs, aut commodiùs, suscipi posse judicemus, liberè sententiam nostram proferamus, & secum communicemus.

Scopum ergo Rever. D. *Duræi* nobis exhibitum, omnibus modis & ὁμοθυμαδὸν exosculamur, & collaudamus; quem charitas ex mundo corde, conscientia bona, fide minimè simulata, oculo quasi columbino, intuetur, ut per Dei gratiam, luculentiùs enitescente, & agnito in fundamentali Religionis veritate & puritate consensu, sequatur funesti Schismatis abolitio, vigeat communio sanctorum, cessent λοιδορίαι, investivæ, anathematismi, & cætera bonæ causæ, adversus communes hostes, consiliis & studiis communibus defendendæ obstacula; Dei gloria, concordia & pax inter omnes fideles efflorescant; ut qui in cælo revera sunt fratres, cives Sanctorum, & domestici Dei, iidem etiam in terra tales esse velint. Ad media quod attinet à Dom. *Duræo* nobis proposita, cum judicio simul factò de eorum, tum acquisitione, tum commoda & prudenti ad prædictum scopum adhibitione & accommodatione, in quibus maxima ardui hujus negotii difficultas, & potissimus sperandi optatique successus cardo versatur, &c. De quibus, ut & de aliis, quæ nobis occurrerunt, prolixiùs jam agere nolumus, quia præcipuarum apud nos Ecclesiarum Theologi sua particularia judicia Rever. Dom. *Duræo* exhibuerunt, quæ aliis quoque Ecclesiis & Theologis, ad quos venturus est, submitunt, parati semper meliora amplecti, & sequi, quæ communi, seu plerarumque judicio, talia deprehendentur. Necessarium & utile imprimis negotio aggrediendo unanimiter judicamus, ut non à disputatione aut tractatione dogmatum controversorum, quando cum *Lutheranis* agendum erit, initium fiat, sed potiùs à quodam quasi armistitio, quo injuriæ, contumeliæ, & hostilitates omnes utrinque hactenus acceptæ ἀμνησία perpetuâ sepeliantur, & novæ in futurum præcaveantur, Sicut enim hostes diutinis inter se impliciti bellis, si serio ali-

ali-



aliquo pacis desiderio teneantur, inducias inter se paciscuntur, donec pax plena fuerit constituta: ita existimamus hanc primam tutissimamque viam futuram, & gradum ad almam inter Evangelicos pacem conciliandam, si initium fiat ab induciis, & hostilitatibus mutuis hactenus exercitis, & inveteratis, janua occludatur, ac mutua quædam tolerantia utrinque indicatur; quod Supereminentibus Potestatibus, Ecclesiarum Nutritiis, curæ cordique futurum speramus.

Ad hæc & alia omnia Pacis consilia & media, quæ licet, quæ decet, amplectenda, uti nos propensissimos esse sincerè profiteamur, ita etiam aliis eadem, quàm possumus studiosissimè commendamus, omnibûsque, qui itidem affecti erunt, operam studiumque nostrum, addictissimùm & conjunctissimùm, sincerè spondemus & pollicemur: idque, tum propter rei in se spectatæ excellentiam, tum propter Ecclesiarum necessitatem, tum in primis propter Divinæ Majestatis reverentiam, quæ veritatis pacisque sectandæ officium toties totiesque nobis præcepit.

Quod superest, Deum Opt. Max. rogamus, ut fideli huic Servo suo in hoc opere divinâ suâ gratiâ assistat, &c.

## ECCLESIAE ET ACADEMIÆ GNEVENSIS *Judicium, de Concordiæ Ecclesiasticæ inter Evangelicos studio.*

Quod votis calentibus, precibûsque ad Deum assiduè contendimus hactenus, quòd efflagitamus etiamnum, pro instauranda Ecclesiarum Evangelicarum pace ac concordia, jam nobis gratulamur spem ejus consequendi aliquam affulgere, cùm Viros Dei strenuos in eo totos esse videmus, ut componendis Fratrum dissidiis, quibus familia Patris cœlestis, justo judicio, propter peccata suorum, tamdiu vexata & dehonestata fuit, renovandæque Ecclesiarum faciei, pro virili collaborent. Inter quos siquidem vir Reverendus & Clarissimus Dominus Joh. *Duræus*, fidelissimus Domini Jesu Christi Servus, hoc instituti urgerè ac promovere peculiariter suscepit, ut ab ipso per Litteras & coràm intelleximus, lubentes contestamur, grandi nos beneficio reputare, quòd missus in hanc messem à Domino, qui pacem fecit, pacem evangelizat, tum iis qui longè, tum qui propè sunt, indefessam operam in ea collocaverit, &c. ——— Rebellavit equidem diu morbus, & pharmacis salutaribus, à viris pietate ac eruditione præstantibus utrinque sæpiùs tentatis, restitit: non ideò tamen def-

R

pon-



pondendum animo ; quin potius studium acrius inpendendum est, ne vulnus recrudescat, sed ut coalescat, & consolidetur charitatis balsamo, neque desinendum, donec Deus Omnipotens, cui obnoxia sunt tempora & opportunitates, exitum optatissimum largiri voluerit. Romanus Episcopus, & conjurati omnes hostes fidei, nullum non movent lapidem, ut, dissociando Christi membra, vel committendo Fratres inter se, vires eorum facile frangant : atque adeò latus utrumque Corporis Christi adversariorum ictibus apertum objiciant, quò non solùm altera pars, sed utraque etiam, successu temporis, dejiciatur iis calamitatibus, quibus familias fratrum altercationibus ac litibus proficissas pessum ire quotidiana probat experientia. Nunquid partes sunt fidelium omnium, quos tangit studium gloriæ Dei, & salutis animarum cura, omnes animi vires unà explicare, ut technis Satanæ furentis ac frementis, quia sciat sibi pauculum superesse tempus, obnitantur, & seposita discordiâ, conjunctis studiis, communium hostium erroribus propulsandis, animorumque consociatione & mutuis Charitatis officiis ædificandæ Ecclesiæ, uni utrorumque matri, totos se dedant ?

—— Gratias Deo immortales persolvimus, quòd exitiales plagas neutri Ecclesiarum Evangelicarum parti siverit infligi, sed præcipua fidei dogmata in utraque conservari, cum utraque foedus gratiæ perpetuari, voluerit. Utrique enim ex solo Dei Verbo sapere, fidemque ac cultum ex præscripto ejus instituere docti, &c. ——— Causæque adeò sunt gravissimæ, cur fraternitatem colamus, *incedentes cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate tolerantés alii alios per charitatem, studentes servare unitatem Spiritûs, per vinculum pacis* : quia, inserti Christo, unum corpus invisibile constituimus, una acti adoptionis Spiritu, vocati in unam spem vocationis nostræ, unum Dominum, unam Fidem, unum Baptisma, unum Deum & Patrem omnium, qui est super omnes & per omnes, & in omnibus nobis, profitentes. Si quibus visum majore dissensione nos invicem distrahi, factum ideò res loquitur, quia præjudicatis opinionibus hinc inde præpeditæ mentes, partem alteram gravioribus accusationibus, quas sanctis adjurationibus à se removet, plus nimium prægravârunt, consequentias quasdam neçtentes, quas altera pars non admittit, &c.

—— In aliis suborta quæ fuerunt sententiarum discrimina, Religionis vel Pietatis cor haud petunt ; ita ut citra salutis periculum dissensus in iis tolerandus veniat, neque causæ sint idoneæ, cur dissuatur Unitas ac Concordia omni major pretio. Ecclesia quippe, tum Veteris, tum Novi Testamenti, dissensionibus membrorum suorum  
ejus-



ejusmodi per omnia sæcula laboravit , neque tamen ideò proscindi se ac distrahi sivit , dum Prophetis & Apostolis obsecuta est. Sed consultâ charitatis συγκαταβάσει statuit , Fratres infirmiores à fide pollentioribus tolerandos ac sublevandos. ——— A temporibus Apostolorum , quoties in Ecclesia sine causis gravibus facta sunt divortia , id humanæ infirmitati , æstuique contentionis , imputandum est : de quo gemuerunt boni omnes , mutuam ædificationem ambientes , unitatemque adeò malè scissam , omni studio refarcire moliti sunt. ——— Deus Opt. Max. quæ est bonitas ejus mirabilis , quemadmodum peccata infirmitatis in voluntate posita , ita etiam errores mentis præter fundamentum , in filiis ac servis suis condonat , eosque adoptione sua dignatus , hæredes regni cœlorum instituit : quos autem Pater familias ἀνέλαβε , cur filii , cur administri clavium renuerint in communionem Ecclesiæ militantis , inque sinum amicitix suæ , recipere ? Ad imitamentum hujus Dei tolerantix sanctè nos componimus , quando profitemur , corpus nos unum cum Ecclesia , quæ temporibus Augustini , nec non aliquot ante sæculis , floruit , quamvis illa infantibus Eucharistiam simul ac Baptismum , ac si necessaria iis esset , adversus Pauli præceptum , contulerit. Moderationem eandem , eodem jure , in hodierno Ecclesiarum Evangelicarum statu , observandam esse arbitramur : arbitrantibus animum addunt laudatissima tot exempla , inde Serenissimorum , Illustrissimorum Principum , Amplissimorumque Magistratum , hinc verò Theologorum , tum in hoc , tum in superiore Sæculo , divina luce collustratorum , omnique virtutum genere instructissimorum , pacem Hierosolymæ sanctè sollicitantium. Connitendum est equidem , ut in unitatem fidei coalescamus omnes , Fratresque aliter sentientes ad divinæ veritatis originem adducantur : quò idem sapiamus omnes , idem loquamur in Domino , in unam compositi sententiam alienis ad fidem alliciendis operam conferamus. Initium tamen gerendi hujus negotii faciendum non putamus à Dogmatum tractatione ; sed , institutis primùm inducii , cavendum à convitiis omnibus , insectationeque mutua , ut postmodùm Christianâ moderatione , sedatis animis , via facilior componendis dissensionibus aperiatur. *Ne igitur nobis eveniat , quod denunciat Paulus , ut invicem mordendo nos & lacerando consumamur , abstinendum potiùs à certamine , quàm ut communi Ecclesiæ jactura vulnus augeatur :* Verba sunt *Calvini* nostri ; cujus hac in parte insistentes vestigis , Viri præcellentissimi *Martini Lutheri* beatæ memoriæ præclarissima merita , dotes eximias Ecclesiæ Reformationi salutariter collocatas , suspicimus. Quamvis Jesum unum



Doctorem ac Dominum nostrum profiteamur, neque ab hominibus, quantumvis præstantibus, hominibus tamen, sed à Christo totam familiam & in cœlo & in terris denominandam, authore Apostolo, censeamus, Virorum Fratrum in tanti Viri sententiam euntium τὰ ὁμολογηθῶν in præcipuis nobiscum Christianæ Religionis articulis probantes, non destitimus illos, exemplo Majorum nostrorum compulsi, fraternè excipere, cùm ad nos se receperunt; etiam in solennibus precibus ac jejuniis nostris, præ calamitatibus eorum adflicti prostratique coram Deo, pacem iis salutarem adprecari, restitutam gratulati ex animo sumus: Et quantum vel nos penes fuit, vel occasio se dedit, prodesse illis, sinceris charitatis officiis, absit verbis jaçtantia, hætenus annisi fuimus, annitemur in posterum semper. Omnes vicissim Fratres Viri fraterno in nos animo affici dignentur, rogamus, obtestamur, per pacem & salutem Ecclesiarum, per Christum Jesum, cujus ad tribunal sistemur omnes. Paulus audiatur verbis his Fideles tam amicè, tam potenter compellans: *Si qua est in Christo consolatio, si quod solatium charitatis, &c.* Fores alii aliorum tamdiu pulsemus, donec aliquando, si Deus faverit (quem penes est hominum corda inflectere) eò res adducantur, ut sacrâ concordiam fœlices facti, mutuis adjuti auxiliis, sacrum hunc hymnum unâ Deo psallamus; *Quàm bonum, quàm amœnum est habitare fratres unâ &c.* O ætatem auream, ætatem Angelicam, quâ tantum obtigerit beneficium! Beatos oculos, quibus dabitur hoc intueri! Beatas aures, quæ audient! Felices ter quaterque Principes ac Dynastas, Pastores ac Doctores, qui auctoritatem ac studia sua operi tanto, tam salutari, commodaverint! Dominus exaudiat illos in die tribulationis, &c. Dabamus *Genevæ*, 5. Id. Febr. Ann. 1655.

JOH. RUD. STUCKIUS, *Theologus Tigurinus,*  
*in Consideratione Quæstionum de quibus in Colloquio*  
*Lipsiaco non convenerat; in Proœmio.*

Placidâ utrinque de singulis factâ declaratione, de tribus tantùm Quæstionibus, ad scholasticam potiùs speculationem, quàm ad ædificationem Ecclesiasticam, vel ad hominis Christiani salutem, pertinentibus, controversia hæsit: de modo nempe percipiendi Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna; de Christi omnipræsentiâ secundùm Humanam Naturam: deque Fide prævisa in Decreto Electionis. Dig-  
 num



num autem observatione est, Confessionem Augustanam de his quaestio-  
nibus non agere, deque omnibus, inter doctissimos utriusque partis  
Theologos, Confessionis Articulis convenisse, tribus exceptis Quaestio-  
nibus, quas illa non attingit.

Ibid. *Quaest. 1.*

Ad *Eucharisticam* hanc quaestionem quod attinet, consenserunt Col-  
locutores Lipsienses in omnibus, quae in Articulo Confessionis Augu-  
stanae X. habentur. Hunc Articulum nostri velut orthodoxum ample-  
xi sunt. — In quonam ergo Lipsienses isti Collocutores dissen-  
ferunt? In eo quod Lutherani Doctores ( factiosa nomina inviti ad-  
hibemus ) praeter ea, quae in Articulo illo expressè exstant, asseruerint,  
*organo oris, tam dignos quam indignos, Corpus & Sanguinem Christi acci-  
pere*; quod concedere nostri recusarunt. — Sed hanc illorum opinio-  
nem stipulam revera esse, concordiae fidelium non obstantem, inde col-  
ligitur, quod in examine & probatione nostri, in legitimo Coenae Do-  
minicae usu protinus illa exuratur, & evanescit: quando videlicet pia  
anima, non quid alii sumant cogitat, sed ut ipsa dignè, mystico vide-  
licet & spirituali modo, per veram fidem, Corpus & Sanguinem Chri-  
sti percipiat allaborat. Curiosam ergo magis, quam utilem specula-  
tionem quandam, de Reprobatorum communicatione, opinio illa con-  
tinet, quae fidei praxin in communione salutari, quam caeteris etiam  
Evangelicis merito concedimus, non impedit. Neque enim alia ipso-  
rum, alia nostra est in examine illo, & probatione nostri, ab Apосто-  
lo praepcepta praxis, sed utrorumque eadem est, ex qua, si recta uti ra-  
tione quis velit, facile colliget, magno eos in errore, & rerum nostra-  
rum ignorantia versari, qui Christum à nobis excludi à Coena, & nu-  
dis ludere nos signis, absque salutari Corporis Christi perceptione,  
credunt.

Ibid. *Quaest. 2.*

De Humanæ Christi Naturæ omnipraesentia, quam *Ubiquitatem*  
appellant, Confessio Augustana ne verbo quidem meminit. Non  
mirum igitur est, utriusque partis Theologos, tertii Articuli duc-  
tum secutos, unanimiter asseruisse, *Dominum Jesum Christum,*  
*Deum verum & Hominem verum in una persona, omniscium, omniprae-*  
*sentem, & omnipotentem esse*; quod ad salutem scire sufficit. Phra-



fin verò illam, Augustanæ Confessioni & ipsi Scripturæ ignotam, Humanam Christi Naturam omnisciam, omnipræsentem, & omnipotentem esse, admittere nostri noluerunt. Dispicimus ergo, hæc quæstio sitne fundamentalis, an stipularis? Initio protestantur Lutherani Doctores, *se nihil cum hereticis Eutychianis habere commune, duas se agnoscere*, juxta Confessionis Augustanæ verba, *Christi naturas, Divinam & Humanam, in unitate Personæ inseparabiliter conjunctas, &c.* — De his, si æquum feras judicium, animadvertes, Doctores illos, ex errore suo de reali proprietatum communicatione, in viam redire, dum ita communicationem illam factam esse fatentur, ut Humana Christi Natura omniscia, omnipræsens, & omnipotens sit personaliter. — At cum S. Scriptura ita non loquatur, nec proprietates vel actiones merè Divinas de Humana Natura in abstracto, sed in concreto, prædicet, phrasin illam non ex asse quidem probamus: quia verò commodum, ut diximus, admittit sensum, eam stipulis accensemus, fundamentum non lædentibus: quæ igni, id est, conscientiæ examini, subjectæ reteguntur & exuruntur.

Ibid. *Quest.* 3.

Etsi illustrem hunc de *Electione* locum Confessio Augustana præterit, de eo tamen Collocutores nostri conferre etiam operæ precium duxerunt. Magnum verò, quod ad præcipua momenta, consensum utrinque testati sunt. *Electionem, nempe, merè gratuitam esse, & reprobationem non in absoluto aliquo decreto, absque omni peccati respectu, sed in justissimo Dei juicio fundari, ita ut omnis perditionis causa vel culpa in hominibus ipsis querenda sit.* In quæstionem hoc præcipuè venit, An prævisio Fidei & Perseverantiæ actui Electionis præstitui debeat? Quod Lutherani affirmant; nostri negant. Hæc autem assertio excusationem quandam habet, quia præstitutionem illam Fidei & Perseverantiæ sic urgent, ut fidem tamen, & in illa perseverantiam, pura esse Dei dona nobiscum fateantur. — Est igitur in opinione illorum, confusio quædam ordinis Decretorum, sine ulla tamen gratiæ divinæ diminutione. Quem errorem itidem stipularem esse, ignis idem seu conscientiæ examen demonstrat, cui subjectus absque ullo electionis gratiæ & fidei damno, in favillas abit, & tenues in auras evanescit.

J O H.



JOH. WIRTZIUS, *Theologus Tigurinus*, *Disquisitione de Sanctorum Communione.*

Esse inter Ecclesias Evangelicas, à magnis Dei Servis tantum non Schismatica sortitas nomina, in fundamentalibus consensum, jam olim liquidum fecit *Marpurgense Colloquium* &c. — Consensu igitur in salubris doctrinae fundamentalibus existente, cur Sanctorum communio locum non invenit, sed in hanc usque diem exulat? Cur Evangelicae Ecclesiae non coeunt & coalescunt? Cur Schisma non tollitur, sed manet, fovetur, & in horas augetur? — Quid, quantumque damnorum hujusmodi Evangelicorum διξεις mutuae Ecclesiae Christi, tribus annorum decadibus dederint, nullis lacrymis sat deplorari queat. Certè omnes illae desolationes Ecclesiarum, Principatum, Scholarum, Regionum, non tam Persecutorum adscribi possunt & debent armis ac furoribus, quam Evangelicorum ἀσπόνδοις odiis & intestinis digladiationibus. Et Phryges sumus, aut prorsus sapere nolentes, aut nimis serò. — A renata Evangelii luce non pauci Principes laudatissimi unionem & communionem inter Evangelicos sancire summo habuerunt studio, in quibus palma debetur Serenissimis *Hassiae Landgravis*, & *Electores Palatini*, quibus nihil prius, nihil antiquius fuit, quam Evangelicorum λοιδορίας, debacchationes, condemnationes inhibere, & omnes ad unionem vias quaerere. Quos nunc Deus ἐν ὑπεροχῇ, super Regna, Principatus, Respublicas, constituit, haec vestigia studiosè lambant, ingenia clamosa, διξεων, condemnationum, odiorum flabella, coërceant; Ecclesiarum, Academiarum, Scholarum gubernacula hominibus moderatis, spiritu concordiae & pacis flagrantibus, committant. — Laboratum, sudatum frustra, fateor, integro, & quod excurrit, saeculo, à Viris maximis, divinitus excitatis. Sed rem non esse in ἀδυνατίαις & desperatis ponendam, modò Principes & Magistratus cum Viris modestiae studiosis, & Spiritu Christi, qui pacis est Spiritus, & non discordiae ac praecisionis, praeditis, seriò manum adhiberent, satis superque docet Ecclesiarum Evangelicarum, in Polonia Majore & Minore, ac Lithuania, laudatissimus Consensus, &c. — Fructus autem longè maximus & optatissimus nunc meti posset, si vel tandem, sive syncretismus, sive mutua & amica saltem tolerantia, Ecclesias in Europa Evangelicas reliquas connecteret, & à perniciosissimo Schismate liberaret. Confortentur manus omnium, qui propter Fratres & socios, spiritualis Hierusalem tran-

tran-



tranquillitatem & pacem, bonumque quærunt. Prosperentur qui ejus pacem postulant & venantur, &c.

JOH. HENR. HOTTINGERUS, *Theologus*  
Tigurinus, *Dissert. de Impedimentis Pacis*  
Ecclesiasticæ.

Obstitit hic obex (φιλονεικία & *præconceptum vincendi studium*) Concordiæ hæctenus pertinacissimè. In Conciliis & Colloquiis frustra fuit aliquoties laboratum. Quid causæ? Sua multi, non ea, quæ Christi, quæ Pacis publicæ, sunt, quæsierunt. Spes fraternæ συγκαταβάσεως & mutux tolerantix obscurata fuit, obfirmato vincendi & triumphandi animo. — Nolumus hæc cautelâ illis laxare fibulam, quibus Religio pilæ instar est, quâ pro arbitrio ludunt &c. De illis tantum agimus, qui cum unum habeant Dominum, unam fidem, &c. de stipularibus tamen quæstionibus ita acriter dimicant, ut vitam citius multi amitterent, quàm alios à sententia sua vel latum unguem recedentes, in fraternitatis contubernium admitterent. Utinam hoc nævo gregarii tantum laborassent! Initio pugnx Sacramentariæ id strenuè Ecclesiæ Reformatæ Antistites dederunt operam, ut Transsubstantiatio proscriberetur; diversa tamen ab iis in subsidium vocata fuit methodus. Tropum Ecclesiæ aliæ acrius urserunt, ne crassam admittere cogerentur σαρκοφαγίαν. Aliæ, ut ne nuda signa institutione Dominicâ proponi demonstrarent, oralem manducationem, realem, essentialem, substantialem præsentiam commendârunt. Schisma oboritur; rationes illius abolendi conquiruntur. Examinatur tandem utraque sententia, & compertum est, post seriam indaginem, Ecclesias à Papismo purgatas tot parasangis à se invicem non distare; Sublatâ λογομαχίᾳ, in re facilem esse consensum, quem alii quidem publicè sunt testati, *Lutherus* cum *Wittebergensibus* & *Helvetiis*, *Tigurini* & *Genevenses*: Alii, vel metu infamiæ, vel inconstantix labe territi, animum ægrius ad hæc studia appulerunt, addictum etiam facilè mutârunt. Noluerunt nempe, vel doctrinam suam totam reddere suspectam, vel eventu ipso probare, injuriis hæctenus & calumniis plus datum fuisse, quàm amorì pacis. Hanc certè fundi Theologici calamitatem diu satis fuisse, ex universa superioris Sæculi historia colligo.

Ibid.



Ibid.

Non si malè hæctenus, & semper sic erit. Non hyems, non verne quidem æstas, sed autumnus fert poma. Officii nostri est *διώκειν* (feræ instar, in sylvis, montium præruptis & in viarum salebrosis palabundæ & vagabundæ) insequi pacem. Si elapsa semel fuerit, novâ indagine investiganda, capienda, retinenda. Mutuis certandum studiis, ut alii aliis conversatione innotescant, & brevi ingenua utrisque Melanchthonis excidet confessio; *Adversarii leniores visi sunt, quàm fore arbitrabar.*

JOH. HENR. HEIDEGGERUS, *Theologus Tigurinus*, *Dissert. I. de Concordia Protestantium Ecclesiastica. §. 4.*

Referta apud nos & fessa eheu! omnia sunt discordiis, divisionibus, subdivisionibus, liceat ita loqui; imò integrâ licèt fidei substantiâ, sed fractâ nimis proh dolor! charitate, tantùm non in minuta frustula conscissus est omnis Protestantium Orbis; quod de Africa sua quondam *Augustinus* effatus est. Discordiarum ferram reciprocant illi, quos Pacis præcones esse conveniebat. Dissiliit gratia fratrum. In mutua viscera sæviunt *ισότιμον πίσιν λαχόντες*, qui æquè preciosam in capitalibus Articulis fidem, Dei gratia, sortiti sunt, *Lutheranorum & Calvinianorum* pudendis & probrosis, factiosis quippe, nominibus discreti. Qui si eo, quo par erat, ob maxima Dei erga illos beneficia, liberationem imprimis é captivitate Babylonica, longè diriore illâ, cui olim Israëlitarum colla Deus subjecit, studio & zelo pietatis, veritatis, charitatis, colligati essent, vel colligari adhuc se paterentur, timeret Orcus ipse; & propitio Numine, rem Protestantium facilè ab infinitis malis explicare, veri Numinis cultum conservare, illum Divinæ authoritati gravem adeò Adversarium, ebriùm piorum sanguine, & Ecclesiæ lacrymis pastum, à nostris cervicibus amoliri possemus omnes. — — §. 5. Plumbei cerebri, faxeique cordis durities erit, si ne quidem metu communi, uti fit, intestinæ discordiæ mitescent: si odii privati pertinaciâ in publicum exitium stimulari perpetim nos sinemus; si, discordiâ usque flagrante id efficietur, ut primò *Calviniani*, quos vocant, mox *Lutherani*,

S

vel



vel utrique simul, in exitium ruant; si denique, obortò incendiò, paulatim omnes correpturò, quæstiunculas potiùs, quæ summam fidei non attingunt, nonnullas, quàm, aquam, aquam, clamare pergènt.

Idem §. 45.

Sed nihil magis controversiæ *Eucharisticæ* momentum minuit, quàm quòd Sacramenti illius nucleum utraque pars, non obstante illo de modo præsentia dissensu, integrum illibatúmque retinet. Est enim haud dubiè Sacramenti hujus nucleus ille, quòd per signa divinitus instituta, ceu ἐπέχουρα, pignora, figilla, arrhabonem, in legitimo usu, credentibus significatur, exhibetur, & obsignatur communio cum Corpore & Sanguine Christi, quatenus videlicet Corpus Christi pro nobis datum, Sanguis ejus pro nobis effusus est, ad justitiam nostram coram Deo, & peccatorum remissionem: Neque communio illa cum Corpore & Sanguine Christi qualiscunque intelligitur, sed prout Corpus ejus, ceu sponsoris, & Salvatoris nostri, pro nobis traditum, Sanguis pro nobis effusus est, in remissionem peccatorum nostrorum, hoc est, prout Christus cum toto merito & justitia sua, adeóque fundus & fructus noster est, nobis per fidem imputatur, ita ut Sanguine ejus aspergantur corda nostra, atque sic aspersa à mala conscientia purificentur. Heb. X. 22. Quid verò ad ejusmodi communionem refert, sitne Corpus & Sanguis Christi vicinum nobis secundum loci indistantiam, an remotum? sitne in usu Eucharistiæ & extra eum, in cælo tantum, an simul in Cælo & in Terra, in, cum, & sub Pane? Quid refert ejus, qui pro vita alterius spondit, corpus & sanguinem ipsi loco conjunctum, an disjunctum sit? Eo ipso, quòd propter vitam ejus sponsor mortuus est, & mors ejus à judice acceptata pro morte ejus censetur, cum ejus corpore & sanguine, hoc est, morte sponsoris, communionem habet, & per ac propter eam vivit ac spirat, ubicunque locorum sponsor, nec non corpus & sanguis ejus existat. Certè extra Eucharistiam per solam Fidem, absentibus symbolis, nobis communionem illam Corporis & Sanguinis Christi obtingere, & per eam nos justificari & salvari, Lutherani ipsi nulli inficias eunt. — Hic appello fidem omnium, an opinio, sive affirmans, sive negans modum corporalis præsentia, fundamentum fidei, quod Christus & ejus justitia imputata ad justitiam omni credenti est, ullâ sui parte labefactet?

Ibid.



Parùm profectò abest, quin dicamus, inter partes hac de re (*de Persona Christi*) conflictantes, non ullam rerum, sed dictionum duntaxat & phrasium incommodarum pugnam & divortium intercedere. Dixerunt ante me alii; neque nudè dixerunt, sed probârunt solidè; atque inter eos imprimis Theologus Heidelbergensis ὄξυδεγκέσατϞ, *Celeb. Job. Ludov. Fabricius*, &c. — Etenim grave videri Possit asserere, quòd sic Divina Natura proprietates suas Humanæ verè & realiter communicaverit, ut propterea *Humana Natura omniscia, omnipresens, & omnipotens sit, & prædicetur*. Hæc verba, uti jacent, Humanam Christi Naturam deificatam arguere possunt: Quod ab Euty-chianorum hæresi parùm equidem differret. Cæterùm, si æquum feras iudicium, animadvertes utrosque partium principes, & *Lipsienses, & Casselenses* Collocutores Lutheranos, ex errore suo de reali proprietarum communicatione illicò in viam redire.

Ad controversiam de *Prædestinatione* pergimus. Et Collocutores quidem *Lipsienses*. æquè at *Casselenses*, magno consensu professi sunt, Electionem esse merè gratuitam, & Reprobationem non in absoluto aliquo decreto, absque omni peccati respectu, sed in justissimo Dei iudicio fundari, ita ut omnis salutis ab æterno decretæ causa, uti & ipsum Electionis decretum in sola gratia Dei, non ullo merito hominis; omnis quinetiam perditionis causa vel culpa, non in Deo, sed in hominibus ipsis quærenda sit. — Absint ergo modò studia, & similitates, adsit reverentia & modestia penetrandi in adyta illa divini consilii, non difficilis erit conciliatio. Agnoscimus utrinque ingenuè, in multis de hoc mysterio quæstionibus exclamandum esse cum Apostolo: *O profunditatem* &c. In illis modò hæreamus & contesseremur, quæ fixa & clara sunt; veluti, Electionem de salvandis factam esse in Christo; perditionem cuique pereuntium esse ex se, salutem ex Deo; fidem (vel prævisam) non ex nobis, Dei donum esse; *de nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit, totum Dei*; uti olim *Cyprianus*, sanctè & succinctè.



Ibid. §. 72.

*Mephibosethum*, Jonathanis corculi sui filium, claudum licet, mensâ suâ David dignatus est. Admittant & nos illi, quandiu minùs rectè cernentibus claudicare iis videbimur; admittamus nos quoque quamvis claudicantes, unius tamen Fratris nostri primogeniti sanctissimi charissimique filios ——— Ignoscere invicem, & leviorum errorum gratiam, salvâ fide præcipuâ, salvo amore Christi, facere, ipsa fides, pietas, charitas, non segniter jubent. Nemo sanus irascitur in tenebris parùm certa vestigia ponenti. Cur ergo, si, densissimis tenebris involuta Mortalium mens in re quapiam hallucinatur, sic invicem exacerbamur? Corporis vitia non exprobrant, non irâ, sed commiseratione prosequuntur boni omnes. Et sapere putabimus illum, qui mentis errore lapsis, tanquam furiis agitato, insultat. Quæ si de lapsu mentis in minutis hisce mundanis rebus verè dicuntur, quantò magis ignoscendum iis erit, qui in sublimibus atque divinis illis humani aliquid patiuntur? Inexhaustus enim est S. Scripturæ thesaurus; in quo scrutando benè nobiscum actum putemus, quòd præcipua, & ad salutem necessaria quæque clarioribus perscripta verbis inveniuntur. In cæteris obscurioribus enodandis, si non eadem omnium mens est, quid alteri alteris indignamur? Et ut multa paucis complectar, simulque totius mali fontem apertum claudam;

*Tanta vel in nobis utinam LIS esset AMORIS,  
Quantus in hoc lacero tempore LITIS AMOR.*

Ibid. *Dissert.* II. §. 33.

Nec pietatis, nec charitatis, nec prudentiæ est, Protestantes, in principiis, & plurimis atque palmariis fidei Articulis omnibus concordēs & ob pauciores, & levioris momenti, controversias, quæ ipsæ tamen ex principalium utrinque confessorum legitima consequentia decidi possent, hostiliter adeò distrahi. De principiorum communionē, non puto quenquam jure repugnaturum. Eadem enim sunt principia fidei, quæ fundamenta. Sunt autem fundamenta fidei, partim Scripta Prophetarum & Apostolorum, partim Jesus Christus, quatenus is est justitia & Salvator credentis. *Superædificati enim sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente angulari lapide ipso*



*ipso Jesu Christo*, Ephes II. 20. *Neque quisquam aliud fundamentum potest, ponere præter id quod positum est, quod est Jesus ille Christus*, 1. Cor. III. 11. nempe prout is est Salvator & justitia credentis. In utraque autem Communione fundamenta isthæc & principia inconcusso stant talo.

Ibid. §. 37.

Hæc solet esse hominis parùm pii, prudentis, & pravæ prorsus sententiæ addiçti, perversitas & perversitas, ut à sua opinione dissidentes, Pharisæico supercilio rejicere & averfari audeat, qui cum ipso per omnia non sentiunt; Puerulorum instar, quibus si, é nucibus aut calculis viginti, unum abstuleris, reliquos omnes simul plorabundi & indignabundi abjiciunt. Quantò æquius erat, ob multa præcipuâque fidei Christianæ dogmata, de quibus Evangelicas inter Ecclesias convenitur, pacem concordiamque servare, quàm ob pauca, & exigui momenti illa, de quibus disputatur, scriptis & concionibus, plusquam tribunitiis, aut etiam rigore & severitate, ne dicam sævitia Papistica, vel intestinum fovere dissidium, vel Ecclesiarum, pace & Pietate florentium, quietem turbare, Evangeliique progressum sufflaminare?

*Idem, Epist. M S. ad Reverendum Veielium,  
Superintendentem Ulmensem.*

*Augustani* æquè ac *Reformati* petuntur, nullo discrimine; quia adversus Papæ, Æoli turbarum omnium, tyrannidem protestantur, ut Protestati sunt pridem utrique. Qui verò sic protestati sunt, dissensionibus funestis, quas indies magis magisque accensas boni omnes lugent, distracti, nudum latus communibus hostibus præbent. Utrarumque partium Politici, Magnates etiam, de Theologorum nimio fervore questi sunt, & exitii Protestantium culpam in eum conjicere videntur. Ego moderatos esse utrinque Theologos non ignoro, id etiam unicè in votis habentes, ut minuantur controversiæ, & earundem momentum æquo animo expendatur. ——— Cæterùm in communi periculo, quo Polyphemus id agit, ut ultimos devoret, non tantùm Theologos utrinque mitiora consilia inire, & inimiticitias flagrantes, odia parùm pia, convicia, publicis utilitatibus remittere, atque in id denique pro extremis viribus, si modò



Ecclesiam quisque suam salvam velit, incumbere debere, ut summæ utrinque Potestates conjunctis viribus, libertatem defendant, agnoscat mecum, quisquis Dei & Ecclesiæ amore ac studio ducitur.

*Idem, altera ad Eundem Epistola.*

Profectò in ea reservati sumus tempora, quibus res ipsa clamat, solum superesse, post Deum, anchoram libertatis, Protestantium inter se concordiam. Nam ipsa si cupiat salus servare, prorsus non poterit à peregrino dominatu, si studio certaminum ad cætera vulnera nostra, rebus turbatis, malorum extremum, discordia & animorum illa nimia disjunctio continuaverit. Neque profectò dubito, Deo charissimos fore, quotquot ad extinguendum illud incendium frigidam suffundere, quantum per conscientiam licebit, conati fuerint. Hoc ergo, Vir desideriorum, agamus utrique in timore Dei, certi piis conatibus Deum pacis benedicturum.

FRANCISCUS TURRETTINUS

*Theologus Genevensis, Parens noster suavissimæ recordationis, quàm propenso semper fuerit ad Pacem Protestantium animo, nulla non occasione testatum dedit; velut in Institutione Theologiæ Elenctica, Tom. III. Loc. XVIII. Qu. XV. nec non in Disputationibus de necessaria Secessione ab Ecclesia Romana, Disp. VIII. Th. 33. 34. 35. plenius verò in Tractatu Gallico, paucis ante obitum annis exarato, quique publicam lucem nondum adspexit. Placet loca quædam, de primariis Controversiis, ex eo excerpere. Sic incipit.*

*Il n'y a personne qui ne demeure d'accord qu'entre toutes les causes, qui ont empêché le progrès de la Reformation & la destruction du Papisme dans le Monde, l'une des plus grandes a été la division qui s'est glissée dès le commencement entre les deux partis Protestans ceux qui suivent la Confession d'Augsbourg, & qu'on nomme Lutheriens, & les Reformez qu'on appelle Calvinistes. Il n'y a personne aussi, pour peu éclairé qu'il soit, qui ne re-*

con-



connoisse le mal que cela cause tous les jours à la Religion, & combien il seroit à souhaiter qu'on pût trouver les moyens d'établir la réunion de ces deux partis, ou pour le moins de les porter à une tolérance mutuelle, afin qu'étans joints, sinon en sentimens, du moins dans l'interêt commun de leur conservations, ils fussent mieux en état de s'opposer tous ensemble aux efforts du Pape, & du Clergé Romain leur ennemi commun, qui se prévalant de leur division a formé le dessein de les perdre, les uns après les autres, qui y a travaillé depuis plusieurs années, & qui y travaille encor avec tant de succès, que, si on ne trouve quelque moyen puissant de lui résister, on ne peut pas douter, à parler humainement, qu'il n'en vienne bientôt à bout, si Dieu par sa Providence n'y apporte quelque obstacle.

Pour parvenir à un but si loüable, & si avantageux, il semble que l'on ne peut point suivre de voie plus courte & plus assurée, que de faire voir, que les uns & les autres conviennent & sont d'accord dans les principaux Articles de la Foi, & que les differens, qui restent entre les parties, ne sont pas d'une telle importance, ni d'une telle nécessité, qu'ils doivent empêcher, qu'on ne se puisse du moins tolerer mutuellement, pourvu que de coté & d'autre on y apporte un esprit de paix & de douceur, selon le précepte de l'Apôtre aux Philippiens, Ch. III. 15., &c.

Le premier Point regarde le Sacrement de la Sainte Cene, que nous mettons en premier lieu, parce que ça été dans celui-là, qu'a commence la contestation entre Luther & Zuingle; proprement il n'y avoit que ce seul Article, dans lequel ils fussent en conteste, comme il fut reconnu dans le Colloque de Marbourg, tenu l'an 1529. &c. — Au fonds, il est constant que nous convenons les uns & les autres; Que la Sainte Cene est un Sacrement, & non pas un Sacrifice; Qu'il n'y a point de Transsubstantiation; Que le Pain demeure toujours pain quant à sa nature, quoi qu'il soit changé quant à l'usage; Que la fraction du Pain est une cérémonie sainte & utile, & qu'on peut la recevoir dans l'Eglise; Qu'on est obligé de communier sous les deux espèces; Qu'il y a une véritable réalité & présence du Corps de Jesus Christ dans la communion de ce Sacrement, non seulement sacramentelle & de signification, entant que ce Sacrement est un signe & un sceau institué de Dieu de nôtre communion avec Christ, mais aussi une présence spirituelle à l'ame du Fidèle, par le moyen de la Foi qui embrasse Jesus Christ & qui nous unit à lui; Que cette présence spirituelle est seule salutaire & nécessaire pour obtenir la promesse qui nous y est faite.

Quant à la Présence corporelle par laquelle les Luthériens veulent qu'il y ait une Consubstantiation, & que le Corps de Jesus Christ se trouve réellement & charnellement conjoint avec les signes, en telle sorte qu'il soit dans  
le



le Pain, sous le Pain, & avec le Pain, nous ne croyons pas qu'elle puisse avoir lieu, pour beaucoup de raisons importantes: Mais-nous ne croyons pas que pour cela on puisse nous accuser de détruire le Sacrement, puisque nous retenons le signe & la chose signifiée, & que nous reconnoissons la conjonction étroite de ces deux choses, en vertu de l'ordre de Dieu, à l'égard du fidele; de maniere que celui qui reçoit avec foi le signe, reçoit aussi en même temps & participe infailiblement à la chose signifiée. De même nous ne prétendons pas d'accuser les Lutheriens d'abolir & de détruire le Sacrement, encor que nous croions qu'ils errent dans le Point que je viens de marquer, puis qu'ils retiennent la verité des deux signes, & qu'ils confessent que la seule présence spirituelle du Corps de Jesus Christ, & la manducation mystique qui se fait par la Foi, suffit pour être sauve; & au fonds quelque erreur qui puisse être dans leur opinion, ce n'est qu'une erreur purement théorétique, qui n'engage les Chrétiens à aucune superstition & idolatrie dans la pratique, comme cela se fait dans la Communion Romaine, là où sous prétexte de la présence corporelle de Christ dans l'Eucharistie & de la Transsubstantiation, on prétend qu'il faille adorer le Sacrement: ce qui fait qu'il est impossible que nous puissions avoir aucune communion avec les Papistes, parce que nous ne saurions participer à leur Sacrement, sans nous rendre coupables d'une horrible Idolatrie.

Le second Point est de la Personne de Jesus Christ nôtre Seigneur. On demeure d'accord que la Nature Divine & Humaine sont unies véritablement & réellement dans une même Personne, & que cette union est faite en telle sorte qu'une Nature n'est pas convertie en l'autre, mais qu'elle demeure entiere avec toutes ses propriétés essentielles, sans confusion & sans division: On convient encor à l'égard de la Communication des Idiomes, c'est à dire, des propriétés de la Nature Divine, qu'elle se fait reellement & véritablement dans la Personne, entant que les noms & les propriétés des deux Natures peuvent s'attribuer véritablement & réellement à la Personne, en telle sorte toutefois que cela s'entende à l'égard de la Nature à qui ces propriétés appartiennent; & en ce sens qu'on peut fort bien dire, que Dieu est Homme, & que l'Homme est Dieu; Que le Fils de l'Homme est tout-puissant & présent par tout, & que Dieu a souffert & racheté l'Eglise par son propre sang.

Il est vrai, qu'il y reste une question dont en n'est pas d'accord, sçavoir si on peut dire que la communication des Idiomes se fasse dans la Nature, aussi bien que dans la Personne, & s'il y a quelques attributs de la Nature Divine qui puissent être dits être communiquez à la Nature Humaine, qui est le sentiment des Lutheriens; qui prétendent que la Majesté Divine, la Toute-puissance, la Toute-présence & semblables propriétés, que s'exercent au dehors, soient communiquees à la Nature Humaine; au lieu que les Reformez

mez



mez croyent que comme les propriétés sont inséparables de leurs sujets , on ne peut pas dire que les propriétés de la Nature Divine ayent été réellement communiquées à la Nature Humaine ; mais qu'il n'y a point d'autre communication d'Idiomes que celle qui se fait en la Personne. Mais qui considérera bien la nature de cette controverse , jugera bien qu'elle n'est pas de telle importance qu'elle touche le fondement de la Foi , puis qu'il demeure en son entier en ce Point , tandis qu'on retient la vérité & la distinction des deux Natures de Jesus Christ , & de leurs propriétés respectives. Il est vrai que les Reformez tirent des conséquences du sentiment des Lutheriens , comme s'il tendoit à la destruction de la Verité de la Nature Humaine de Jesus-Christ. Mais comme ils ne les veulent pas avouer , & protestent de confesser la vérité de cette Nature , & condamnent tous les anciens hérétiques qui l'ont détruite , on ne peut pas justement leur imputer une erreur si grossière ; d'autant plus que quand on examinera bien les distinctions qu'ils apportent sur ce sujet , on trouvera qu'ils ne s'éloignent pas fort de nôtre sentiment.

Le troisième est de la Prédestination & de la mort de Jesus Christ. Sur quoi je dis que nous convenons en ce qui est de principal & de plus essentiel dans cet Article ; sçavoir , qu'il y a une Prédestination à salut & à mort éternelle , par laquelle les uns doivent être éternellement bienheureux , & les autres perir dans un malheur éternel : Que selon cette Prédestination , Dieu veut sauver les seul Fideles & repentans , & damner les impénitens & les Infideles : Que ce que l'homme perit , vient de sa propre faute , & non pas de celle de Dieu : Que nul des Elûs n'est sauvé que par le mérite de la mort & de la satisfaction de Jesus Christ , &c. — Les Lutheriens pretendent &c. Mais cette diversité ne doit pas empêcher la Tolérance , parce qu'on sçait qu'il y en a divers dans l'Eglise Reformée , qui croient la Grace Universelle , & qu'on demeure d'accord que ce n'est pas un Article essentiel & fondamental & absolument nécessaire au salut ; Qu'il regarde des questions sublimes & hors de la portée du vulgaire , & enfin qu'il y en a une infinité qui sont sauvez , sans en avoir la connoissance. A quoi l'on peut ajouter , que l'on convient de part & d'autre , que comme Dieu ne prend pas plaisir à la mort du Pecheur , mais à sa conversion & à sa vie , il veut que tous les hommes soient sauvez , par cette volonté d'agrément , & il les appelle tous indifferemment & sans distinction de nation , de condition , & de sexe , par la prédication de son Evangile. D'ailleurs on est d'accord aussi que la mort de Jesus Christ , quant à la valeur , est suffisante pour le salut de tous les hommes du monde , sans exception , & même de plusieurs mondes , s'il y en avoit , étant d'un mérite & d'un prix infini ; &

T

qu'en



qu'en ce sens on peut bien dire qu'il est mort suffisamment pour tous, mais qu'il n'est mort efficacement que pour ses Elûs, parce qu'il n'y a qu'eux seuls qui soient effectivement sauvez. Il suffit donc qu'à cet égard on croye, comme les deux parties en demeurent d'accord, que nul n'est sauvé qu'en vertu de l'Electiõ de Dieu, par le moyen de Jesus Christ, qui nous a merité le salut, & de la Foi, qui nous l'applique, & qui nous en fait participans. — Tandis que les Lutheriens reconnoitront que toute la cause du malheur & de la perte de l'homme vient de l'homme même, & que toute la cause du salut de l'homme vient de la grace de Dieu, à qui seul toute la gloire en doit être renduë, & qu'ils condamneront comme ils font la Doctrine des Pelagiens & des Semi-pelagiens, cette diversité de sentimens ne doit pas empêcher, qu'on ne puisse se supporter mutuellement.

B E N. P I C T E T U S

*Theologus* GENEVENSI*s* Celeberrimus, Collega noster plurimum observandus, *Dissert. de Consensu ac Dissensu inter Reform. & Aug. Confess. Fratres.*  
*Præf. ad Theol. Augustanos.*

Nullusne igitur unquam diffidiis nostris erit finis ? Et cur dissidemus ? Fratres sumus ; cur tam dulce inquinamus nomen ? Unum eundemque Patrem habemus, Deum pacis ; Unum Deum colimus cultu religioso, &c. Non aliam fidei ac morum normam admittimus præter Verbum Dei scriptum, &c. Non aliud meritum, quàm Christi Salvatoris, nec aliam satisfactionem admittimus, &c. Quid ergo nos disjungit ? Vos obtestor omnes, per viscera misericordiarum Dei, ac per Unigeniti Filii pretiosum sanguinem, pacem orbi Protestanti redite. Tangant nos Ecclesiæ Christianæ amari planctus, & uberrimæ lachrymæ. Coalescant tandem nostra vulnera ; sic Evangelium ac Veritas foeliciùs propagabitur ac triumphabit ; sic gravissimum amovebitur scandalum ; sic Ecclesia vera novum indies incrementum capiet ; sic pii exultabunt omnes, & aberrantes convertentur. Nomina *Lutheranorum & Calvinianorum* expungantur, non ampliùs altare altari opponatur. Vobis animitùs eorundem sacrorum communionem offerimus ; idem à vobis efflagitamus. O beatam diem, qua omnes nostræ ac vestræ Ecclesiæ in mutuos ruent amplexus, conjunctisque dextris & animis in unum corpus coalescemus ; Deo benedicente, Angelis plaudentibus, piis exultantibus.

Ibid.



Ibid. pag. 34. & 35.

Jam Augustanos Fratres expendere velim, num reputent fundamentalem esse controversiam hanc ( de *Eucharistia* ) inter nos ac eos, & an adeò gravis ipsis videatur error Reformatorum, ( si error sit, quod nequaquam credimus ) qui pro sensu figurato militant, cum & ipsi debeant fateri, se admittere cogi figuram in locutione Christi, & ipsis recedendum esse à litera; negant enim Panem esse ipsum Corpus Christi; quod vellet literalis sensus; Explicant verbum *est* per *inest*, *subest*, *continetur*, invitâ rursus literâ; deinde invertunt propositionem, & pro *hoc est corpus meum*, vertunt *corpus meum est in, vel sub, vel cum Pane*.

Ibid. pag. 46. & 47.

Dissensum nostrum super hac re ( *Gratia Universalis* ) fundamentalem non esse fatebuntur Augustani fratres, qui attenderint. 1. Utrunque conveniri solos credentes servatum iri, quod nosse ac populo prædicare sufficit. 2. Utrunque conveniri Redemptionis Christi pretium esse infiniti valoris, ita ut sufficeret ad plures servandos mundos. 3. Utrunque conveniri Christum redemisse Homines ex omni tribu, gente, ordine, sorte; &c. 4. Utrunque conveniri Deum amore quodam generali ferri in homines tanquam creaturas suas, & varia beneficia illis largiri. 5. Utrunque conveniri Deum seriò mortalibus injungere, ut credant & resipiscant, si servari velint. 6. Utrunque conveniri Deum delectari potiùs conversione & vita peccatoris, quàm ejus morte, ita ut ipsi gratum esset, si omnes crederent, ut ipsi gratum foret si omnes suam implerent Legem. &c. ——— pag. 50. Rectè observare *Calixtum*, Deum ab homine non requirere, ut æternum illud Prædestinationis decretum intelligendo penetret, & exactè capiat, sed servari posse hominem, modò ordinem, per quem in tempore ad salutem Deus nos perducit, sequatur & servet; cætera, de decreto in æternitate factò, minimè sollicitus, &c. ——— *Ibid.* pagg. 52. & 53. Dissensum in his duobus ( *Electione* & *Reprobatione* ) non esse fundamentalem agnoscent Augustani Fratres, qui observabunt, præter ea quæ jamjam diximus, utrinque concedi; 1. Nihil fieri in tempore, quod non decretum fuerit ab æterno. 2. Dari Electionem & Reprobationem quorundam, & quidem æternam. 3. Neminem



servari , nisi credentem & propter Christum. 4. Neminem damnari nisi propter peccata. 5. Deum peccatorum nullo modo esse causam 6. Fidem esse ex gratia Spiritus S. &c. 7. Non dari gratiam Spiritus, nisi ex decreto de danda illa gratia ad credendum. ——— *Ibid* pag. 59. & seqq. Disceptari diximus, num *gratia convertens sit irresistibilis?* Verùm fortè inter nos mera tantùm est Logomachia. Utrinque conceditur. 1. Gratiam convertentem in nos non agere, ut in truncos ac lapides, nec hominibus suum liberum arbitrium adimere. &c. 2. Nos resistere gratiæ externè vocanti per Verbum Evangelii, & quidem quotidie. 3. Peccatores, initio, Gratia internæ reluctari. 4. Electos tamen Gratia Efficaci nunquam finaliter resistere; tandem superari Naturam à Gratia, carnem à Spiritu, ac proinde Electos infallibiliter converti. Qualis igitur superest dissensus?

Idem, *Amica Responso ad Scultetum*, pag. 71. & 72.

Ferè solum jam Eridos pomum est sententia nostra de *Prædestinatione*; quod mysterium non ita in Scriptura perspicuum est, ut, si quis erraverit circa illud in quibusdam, quæ minùs clarè docentur, statim à sua communione sit arcendus. Rectè qui prædestinationis divinæ adyta præcipiti quadam confidentia penetrare audent, à *Calvino* nostro cum *Phaëtonte* & *Icaro* comparantur. ——— Uterque nostrum consentit unicum esse Dei decretum; Quid ergo contendimus de ordine Decretorum? Facile potuit ac sine detrimento Christiana pietas istiusmodi scrupulosâ quæstione carere; nam qui non patimur cæteros homines curiosius introspicere nostra arcana, cur satagimus mortales, ea penitus rimari, quæ supra mortalitatis nostræ modum, quanto cælum supra terram intervallo, assurgunt? Nos humi repentes ea quæ nulli vidimus, computamus, digerimus, & persequimur ordine singula, quasi arcanorum conscii cœlestium, & à nobis dissentientes, anathemate percutimus. Quis Deo à consiliis fuit? ut sciat, τὸ πρῶτον, τὸ δεύτερον, τὸ δὲ ὑστάτιον æternus fictor decreverit. ——— Materia, circa hoc argumentum, dissensûs nostri talis est, ut de ea populos moneri necessum non sit.

Idem, *Vindiciæ adversus animadversiones* &c.

pag. 121.

Nihil igitur superest, nisi ut probem dissensum nostrum super hoc  
argu-



argumento ( de *Prædestinatione* ) non esse fundamentalem ; idque ita evinco. 1. Dissensus qui versatur circa quæstionem merè Scholasticam , non est fundamentalis. At dissensus noster &c. *Probatur Minor.* Dissensus noster est circa hanc quæstionem ; An Electio præcedat ordine Fidem , an Fides præcedat Electionem. At hæc quæstio est merè Scholastica. 2. Dissensus qui versatur circa quæstionem quæ ignorari potest absque detrimento salutis , non est fundamentalis. At &c. *Probatur Minor.* Ignorari potest an Electio præcedat Fidem , an verò sequatur , citra detrimento salutis ; nam quot sunt inter *Lutheranos* ipsos , qui hoc ignorant & servabuntur ? 3. Si certum fit , omnibus consentientibus , uno & simplicissimo actu Deum omnia decrevisse quæ ad salutem pertinent , inutile planè est contendere , quid primum , quid secundum ordinaverit , ac ac statuerit , ac proinde dissentire licet , salvâ amicitia.

Idem , de *Lutheri & Calvinii Consensu* &c. Cap. XVI.

Attendamus omnes , nos sic Christum compellare. Cur vobiscum non est pax illa , quam vobis reliqui , ut ea nota ab aliis vos distingueret ? ——— An vobis deest hostis cum quo contendatis ? An omnes veritatis meæ hostes à vobis debellati sunt , ut pro rebus quæ captum vestrum superant , lites æternas foveatis ? De amore illo summo , quo Genus Humanum profecutus sum , non est quod pugnetis ; hoc certissimum , nullum nisi Pacificum salute parta fruiturum. De æternis meis Decretis , quæ vos latere volui , cur disceptatis ? Hoc vobis nosse sufficiat , salutem non esse decretam Pacis osoribus , sed tantum verè credentibus , & pacis studio flagrantibus.

ECCLESIAE & ACADEMIAE GENEVENSIS

Pastores & Professores , in Epist. ad Sereniss.

BORUSSIAE REGEM , scripta 22.

April. 1707.

*Mais entre les grandes choses que VOTRE MAJESTE à faites , & qu'Elle fait encore pour la Religion , une des principales sans doute , ce sont les soins qu'Elle se donne pour la Réunion des Protestans. Ce dessein là , SIRE , est bien digne de V. M. ; Et rien ne peut tant contribuer à la gloire de Vôtre Regne , que cette sainte Réunion , qui est si juste en elle-même ,*

T 3

si con-



si conforme aux maximes de l'Evangile , si utile pour l'interêt commun de la Religion Protestante , si necessaire pour nous garentir des entreprises du Papisme , qui ne cherche qu'à nous perdre les uns & les autres , enfin qui est souhaitée avec tant d'ardeur par tous les gens de bien , & qui ne sauroit manquer , si elle est une fois concludë , de contribuër infiniment à étendre les bornes de nôtre sainte Réformation. Non , S I R E , il n'y a point de victoire , il n'y a point de trophée , qui soit comparable à gloire d'avoir procuré une paix si Chrétienne , si necessaire , & si souhaitée.

Nous apprenons , S I R E , avec une extrême joye , combien V. M. a à cœur ce grand Ouvrage , & avec quelle application Elle travaille à l'avancer. Nous applaudissons à une si sainte entreprise. Nous benissons Dieu , qui en a inspiré la pensée à V. M. Et si nous étions assez heureux pour y pouvoir contribuër en quelque maniere , nous pouvons assurer V. M. que nous y travaillerions de toutes nos forces , & qu'il n'y a aucune démarche que nous ne fissions pour cela. Ainsi , comme on nous a fait entendre , que , si nous exposions là-dessus nos sentimens à V. M. , cela pourroit être de quelque usage , nous nous y sommes déterminés sans peine , & nous avons été ravis que cette occasion se soit présentée , pour nous approcher d'un Prince , que nous regardons avec tant de respect , dont la Personne nous est si chere , & qui a donné tant de marques de son affection & de sa bienveillance à cet Etat & à cette Eglise.

Nous dirons donc à V. M. ( si Elle veut bien nous donner quelques momens d'audience ) que le sentiment constant & unanime de nôtre Eglise a toujours été celui-ci : Que les Protestans des deux Communions conviennent sur tout ce qu'il y a d'important & d'essentiel dans la Religion : Que , ni chez les uns , ni chez les autres , il n'y a aucune erreur fondamentale , ni aucun Culte idolatre ou défendu de Dieu : Que les questions qui nous séparent , ne sont point essentielles à la foi , ni necessaires pour le salut ; Qu'ainsi , nous devons nous supporter là-dessus les uns les autres , comme on se supporte sur plusieurs autres choses à l'égard desquelles les Docteurs d'une même Communion sont partagez : Enfin , que ces differences là de doivent point nous empêcher de nous regarder tous comme Freres , d'assister aux Assemblées les uns des autres , de communier les uns chez les autres , ni en un mot de composer tous ensemble une seule Communion Ecclesiastique.

Pour ce qui regarde la maniere de reünir les deux Partis , nous n'estimons pas qu'on le puisse faire par des contestations & par des disputes. Cette voye seroit infinie ; Personne ne veut ceder ; Et les disputes aigrissent les esprits , plûtôt que de les adoucir. Il vaut beaucoup mieux , selon nous , faire cesser toutes les disputes sur les questions qui nous divisent , ne parler

ler



ler jamais de ces matieres qu'avec moderation & avec douceur , s'attacher sur tout à faire voir que ces questions sont peu importantes , & au reste , sans entrer là-dedans , ouvrir nôtre sein à ceux de nos Freres qui voudront venir à nous , & aller nous mêmes à eux , quand ils voudront nous recevoir , en un mot nous supporter charitablement les uns les autres , comme les Apôtres de Jesus Christ nous y exhortent en tant d'endroits , & comme ils nous ont montré qu'il falloit faire par leur exemple , jusques à ce qu'il plaise à Dieu de dissiper tous nous doutes , & de nous révéler aux uns & aux autres ce que nous ignorons.

C'est aussi sur ce fondement , que nôtre Eglise a toujours agi. Toutes les fois qu'on l'a consultée , elle a répondu dans ce sens-là. Plusieurs d'entre nos Docteurs ont fait des Traitez exprès pour montrer que c'étoit là leur pensée. Quand il y a des personnes de la Confession d'Augsbourg , qui souhaitent de communier avec nous , nous les recevons à bras ouverts, sans exiger d'eux aucune abjuration de leurs sentimens. Et s'ils nous veulent recevoir sous la même condition , nous sommes tous disposez à communier avec leurs Eglises.

Nous pouvons même ajoûter un Fait , qui fera connoître à V. M. les sentimens moderez & pacifiques de cette Eglise ; C'est que quelques particuliers de la Confession d'Augsbourg ayant demandé , il y a quelques années , la permission de communier ici de tems en tems , de la main d'un de leurs Ministres , nôtre Compagnie , qui fut convoquée deux fois pour en délibérer , y donna unanimément les mains ; Après quoi , ayant porté cet avis à nôtre Magistrat , il ne se fit aucune peine de leur accorder leur demande \*.

Enfin , SIRE , nous pouvons assurer qu'il n'y a peut-être aucune Eglise dans tout le Parti Protestant , qui ait des sentimens plus moderez & plus portez à la paix , ni par consequent qui entre mieux dans l'esprit & dans les vûes de V. M. , que le font les Conducteurs de l'Eglise de GENEVE.

Quel bonheur , SIRE , si ce grand Ouvrage , qui a été avance si heureusement par Vos Prédecesseurs , & en particulier par le Grand FRIDERIC GUILLAUME Vôtre Pere, de triomphante memoire , pouvoit être amené, sous les auspices de V. M. , à une heureuse exécution ! &c.

F R I-

\* Ab eo tempore quò hæc scribebantur , Ecclesia Lutherana publicâ auctoritate Genevæ instituta est , prout in Epistola ad Archiep. Cantuar. jamjam inferenda narrabitur.



FRIDERICUS I. Rex Borussiae ,

*in Resp. ad Pastores & Professores Genevenses.*

FRIDERICUS D. G. REX PRUSSIAE, *Marggravius Brandenburgensis, &c.* Singulari gratia ac benevolentia Nostra Regia praemissis. Reverendi, Doctissimi, Nobis singulariter Dilecti. Epistola vestra die 22. Aprilis scripta recte Nobis tradita fuit; Cumque magnam e vestro in Nos affectu voluptatem cepissemus, majorem tamen e laudabili in Rem Evangelicam studio percepimus. Etenim cum Ipsi nihil prius habeamus, quam ut qui Nos regnare voluit, Ipse per Nos latius regnet, cumque Is Deus sit Pacis, ut fideles Ejus tristi haecenus Schismate divisi, amoris atque unitatis vinculo tandem constringantur; Impense sane gaudemus cum alios fidei Nostrae socios in sanctissimarum curarum partem venire, Nostrisque conatibus succollare deprehendimus.

Maxime autem laetamur, in horum censum vestram venire Ecclesiam, quae inter Evangelicas magnum & venerabile Nomen sortita, toti negotio pondus haud leve addet. Nihil vero Vobis Iphis dignius, eoque, quem in Reformata Ecclesia tenetis loco, convenientius esse potuit, quam ut qui fidei quondam facem Ecclesiis Evangelicis praetulistis, jam charitatis & amoris studio iisdem praeluceatis. Consilia vestra Henotica, quae Nobiscum communicavistis, plane probamus, ut quae iis quae Ipsimet hucusque agitavimus ex asse respondent. Sed ea cum primis prudens Vestra pietas Placet, quod desiderium Pacis & Unionis testati, media pariter huc ducentia (uti fama nuper accepimus) provide adhibueritis, & exemplum Basileensium secuti, primario quod Ecclesiarum Evangelicarum coalitioni apud vos obicem ponere posset, obstaculo sublato \*, ipsum quasi parietem intergerinum subruisse videamini. Singulari Divini Numinis beneficio ac vigili Majorum Nostrorum pietate factum est, ut semina moderationis Theologiae in Ecclesia & Universitate Nostra Brandenburgica usque conservarentur, cujus rei in tractando negotio Irenico,

fruc-

\* *Loquitur Serenissimus REX de abrogata Basileae & Genevae subscriptione Formulae Consensus: Quod factum Basileae, ob Literas Serenissimi Electoris Brandenburgici FRIDERICI WILHELM I, hoc de negotio in Helvetiam scriptas.*



fructum percepimus uberrimum; cùmque eandem Vos quoque viam insistere videamus, eventum negotio, ubi Divina accesserit benedictio, nonnisi lætum atque auspdatum augurari possumus.

Cæterum & Vos isthac studii vestri significatione Nostrum haud modicè accendistis, & ipse ille morbus, qui nuper Nos afflixit, quemque superatum piè Nobis gratulamini, calcar Nobis addet, ut absque temporis jactura, promtiùs operi manum admoveamus.

Gratissimum verò Nobis, atque in rem negotii fuerit, si non solum illud pro prudentia & pietate vestra, oblata occasione promoveatis, verùm etiam de Modo Agendi cum Episcopo Nostro, cumque, aliis Nostri Theologis consilia conferatis. Nos operam dabimus, ne quod in Vobis laudamus, in Nobis unquam desideretur.

Quod superest, Deum O. M. oramus, ut communia Nostra conamina Nominis sui gloriæ & Ecclesiæ bono destinata, sanctissima sua benedictione promovere dignetur. &c.

GILB. BURNETUS *Episc. Sarisbur.*

*Epistola M. S. ad Joh. Rudolph. Zuingerum, nuper Theologum & Antistitem Basileensem meritissimum: In qua quidem tanta pietas & sapientia elucet, ut integram ex Autographo exscribere non pigeat. Scripta est Ann. 1708.*

Venerande Antistes, & Frater in Christo Dilectissime,

Summas tibi habeo gratias, quòd filios meos tanto affectu recipere dignatus sis, & officiis humanitatis tuæ illos tibi obstrictos reddideris. Paria tibi referre, ut occasio tulerit, semper ero paratus. Gaudeo equidem quòd Vir eximius tam præclarè de statu Ecclesiarum nostrarum sentiat. Quæ de te in Societate nostra ante annum mihi ex fama certa & constanti satis comperta dixi, longè infra merita tua erant, & in honorem Societatis cedit, quòd Vir tantus nostro Albo se adscribi patiatur. Desplendum est quidem, quod status Ecclesiarum Reformatarum, quæ ante quosdam annos in præcipiti esse videbantur, tam paucos excitaverit ad rem seriò expendendam, ut omnibus pateret quæ causæ Deum commoverant ad procellam

V

in



in illos emittendam, quæ tot Ecclesias prostraverat, & omnibus ruinam minabatur. Præsertim Ecclesiæ nostræ & vestræ, quasi in riçtu Leonis immanis statim devorandæ videbantur. Pauci tamen, eheu quàm paucissimi! inter nos (meliora de vobis spero) qui hisce periculis permoti, se ad Deum seriò convertunt. De quibusdam opinionibus non ita certis, nec tanti momenti, quæ rixæ, & quantus animorum motus? Et de ritibus quantæ sunt excitatæ contentiones? Sed de summa Religionis, de vita Christiana, & moribus Christo dignis, quàm parùm laboramus? quantùm frigemus? Deus Ecclesias nostras in extremo periculo versantes, manu sua protensa, tanquam titionem ex igne subduxit, & beneficiis summis, jam à multis annis, & etiamnum, nos cumulavit. Sed eheu nos ingratos, qui tanto amorì quo nos prosequitur, nullatenus, ut par est, respondemus, nec fructus Evangelio dignos reddimus! Est tamen inter nos pusillus grex, sunt nonnulli quibus vera Religio cordi est. Societas nostra, quam nomine tuo jam auctiorem habemus, seriò laborat de promovendo Evangelio in Coloniis quas in America possidet Gens nostra. Sed ut olim, sic hodie, licèt ingens sit messis, paucos tamen operarios deprehendimus. Conatus nostri sunt tamen non planè inutiles, & illis Deus benedicere videtur. Nec desunt qui satis liberaliter necessaria conferunt ad alendos Pastores & Scholis præpositos. Faxit Deus ut omnia in nominis sui gloriam cedant.

Speramus bellum hoc funestum propediem ad finem optatum perducendum. Et si, pace generali compositis totius Europæ motibus, Ecclesiæ Reformatæ de pace inter se ineunda seriò sibi consulant, alia rerum facies citò apparebit. Nulla sinceræ pacis spes est, donec mutuo charitatis affectu omnes complectamur, qui in summis Religionis capitibus eadem sentiunt, licèt in rebus minoris momenti, vel in Articulis, quæ verè captum nostrum superant, in diversas eant sententias. Nimiùm accedunt ad spiritum Papisticum, qui à sua communione rejiciunt omnes qui in re quavis ab iis discedunt & aliter sentiunt. Illi sanè intra angustos cancellos Societatem suam claudunt, & sibi secretò Infallibilitatem arrogare videntur, licèt hujusmodi tyrannidi palàm renunciaverint. Nihil Reformationi perniciosius accidere potuit, quàm hæc animorum alienatio, in rebus, in quibus satius esset veniam & dare & petere, quàm sine fine contendere, & hosti communi ansam offerre ad alendas lites, & ad nos in Fratres excitandos, dum illi unanimes in nos consilia ineunt: & licet ipsi de rebus iisdem, de quibus inter nos acriter  
discep



disceptatur, discordes sint, nobis tamen longè prudentiōres, rixas suas utcumque componunt, ut junctis viribus nos incautos obruant.

Vides, Vir Venerande, qua libertate te alloquar. Satis intelligo quis sis, & quantum mutua Ecclesiarum concordia charitas fraterna à te & ab Ecclesia vestra, præsertim ab insigni Theologo & Fratre mihi charissimo Dom. WERENFELSIO colatur & promoveatur. Omnia tibi & Ecclesiis vestris fausta precor, & in omnibus Christianæ charitatis & non fucatæ amicitiae officiis conabor, ut tibi semper constet quòd sim &c.

*Idem Præsul, in Exposit. Art. 17<sup>i</sup>. Eccl. Anglic., varias sententias de Prædestinatione, earumque fundamenta & difficultates, ita candidè exponit, ut, in quam partem ipse propenderet, neutiquam hinc dignoscatur. Cur autem sic egerit, in Præfatione sic enarrat.*

Ratio quâ adductus sum, ut, quam in pertractanda hac controversia methodum sequor, potissimum deligerem, præter alias ista fuit, modum quem possem accommodatissimum proponere, quò homines sese invicem rectiùs intelligere hac in materia, & mutuò tolerare docerentur. Dissensionum, quibus *Lutheri & Calvinii* sequaces hodie scinduntur, hoc præcipuum caput est. Qui sententiarum unitatem procurare quovis modo contendunt, rem moliuntur effectu perpetuò carituram. Neque enim in tanta opinionum diversitate expectandum est, ut sibi mutuò remittendo accedant: & concordia æquivocis explicationum Formulæ superstructa, nunquam valebit componendis enatis circa eas contentionibus. Unicus igitur reliquus est solidæ & duraturæ conciliationis modus, occupare animos utriusque Partium, sensu roboris argumentorum quibus Pars opposita innititur, ut perspiciant, ea ita esse comparata, non quæ contemnere liceat, sed quibus capi vir sapiens & cordatus possit. Hoc ipso fundamentum charitati jactum est; cui si jungatur justa æstimatio difficultatum propriam Causam prementium, & unà cogitetur, pravæ consequentias ab opinionibus deductas, non rectè imputari iis qui eas opiniones profitentur, nisi in ipsas illas consequentias æquè consentiant; facilius inde foret accedere ad consensum in certas Propositiones generales, quibus pravæ illæ consequentiæ condemnarentur, & Doctrinæ summa capita stabili-



bilirentur ; integra libertate diverforum Systematum Sectatoribus ,  
propriam retinendi opinionem ; at insimul obstrictis , pro charitate &  
mansuetudine sentire de aliis , eorumque communionem , non obstante  
hac varietate , servare.

D A N. E R N. J A B L O N S K I

*Theologus* Berolinensis *Celeberrimus* , *Sereniss.* BORUSSIAE  
REGI à *Sacris* , in *Praefatione* Expositioni Burnetianae  
*suprà memoratae praefixa* , docet quidem Gratiam Univer-  
salem publicam *Ecclesiae* Marchicae *doctrinam esse* , quâ , in-  
quit , & Deo gloriam Sanctitatis , Justitiae , Misericor-  
diae , Veracitatis , plenissimè sibi videtur asserere , & Pec-  
catorem sine excusatione relinquere , & suam Gratiae  
efficaciam vendicare , & Fratres denique Evangelicos ,  
*Particularismum* nimium quantum averfantes minus of-  
fendere : *Sed & adjungit* , *fusèque probat* , ex *Particula-*  
*rismo nullum prævum effectum timendum esse* , cum modus  
*Doctrinam* illam proponendi , omni quod subesse timent  
veneno eam liberet , tremendasque consequentias ipsò  
factò amputet , suffocet , jugulet. *Quibus ostensis* , *ad*  
*lectionem Tractatús Burnetiani Lectorem hortatur* , & in  
spem definit , quam utinam summus Rerum Arbiter ra-  
tam esse jubeat.

Denique , *Lector* , per amorem Dei & *Ecclesiae* , oro te atque obte-  
stor , ut *Tractatum Burnetianum* , animo sedato atque praëjudiciis libe-  
ro , legere aggrediaris , eumque totum , & debita cum attentione legas ,  
ut qui de rebus magni momenti agit , quæ ad *Divinorum* *Attributo-*  
*rum* gloriam , & *Ecclesiae* pacem , pertineant ; legas verò cum sensu im-  
becillitatis humanae , & cum pia propriarum virium atque infallibilita-  
tis diffidentia , in timore Domini , & amore Pacis. Ita demùm fieri  
poterit , ut quod Schisma Sæculum Reformationis primum peperit , se-  
cundum aluit , tertium tollat atque contumulet.

F I A T ! F I A T !

G U L



GULIELMUS WAKE, *Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ Primas & Metropolitanus, Epist. ad Pastores & Professores Genevenses; quæ ipsa etiam ad universos Helvetiæ Reformatæ Pastores & Doctores directa fuit. Scripta est 8. April. S. V. hujus ipsius Anni 1719.*

Interim dum hæc feliciter, uti spero, peraguntur, ignoscite, FRATRES DILECTISSIMI, si majoris quidem laboris atque difficultatis, sed longè maximi nobis commodi, Inceptum Vobis proponam; in quo, & sæpè aliàs, & hoc ipso tempore, complures primariæ dignitatis Viri summo studio allaborant, & junctis viribus, ab omnibus quibus puritas Evangelii reipsâ cordi sit, unâ secum allaborandum sperant. Jamdudum sentitis quòd mea tendit adhortatio: ad Unionem nimirum inter omnes quæ ubique sunt Ecclesias, quæ his ultimis Sæculis à Communione, seu veriùs Tyrannide Pontificis Romani sese subdlexerint, sedulò prosequendam. Quin hoc fieri possit, siquidem animum ad concordiam promptum omnes attulerimus, nullatenus dubitandum est: Quin fieri debeat, nemo prudens negaverit. Etiam Providentiam Divinam ad hoc nos vocare, & quasi manu ducere, vel ea quæ his proximis annis in hac nostra Ecclesia contigerint, meâ quidem sententiâ, clarè ostendunt.

REGEM nobis concessit Deus, optimum, potentissimum, inter omnes Reformatos Principes absque controversia præcipuum. Hic inter *Lutheranos* enutritus, neque ab eorum Sacris ullatenùs alienus, ad *Ecclesiæ tamen Anglicanæ* Communionem, tum tota sua Regali Familia accessit; adeoque Exemplo suo (omnium quæ humano animo concipi possunt longè illustrissimo) planè demonstravit, nihil obstare quominùs alii omnes Protestantes in eandem nobiscum Ecclesiam convenire, & quasi coalescere, valeant.

Quod ad *Reformatos* spectat, nullos esse inter eos credo, qui Communionem nostram refugiant. Quæ cum ita sint, mihi quidem videtur, *Protestantium* atque *Reformatorum* Unionem, adeò nihil in se impossibile habere, ut jamdudum ex utraque parte tantum non re ipsâ facta sit; tam Protestantibus quàm Reformatis, si non verbis, at (quod majus quiddam reputari debeat) factis, confitentibus,



posse se nobiscum, quasi in tertio aliquo consentire, ac proinde inter se ipsos mutuò uniri.

Hoc igitur tam insigni argumento fretus, nullus dubito, quin ubi pax foris solidè stabilita fuerit, etiam hæc tantoperè exoptanda Concordia inter nos omnes conciliari possit. Ad hanc itaque animos nostros, ut par est, præparemus. Hoc præsidio Nos, nostrasque Ecclesias, contra Romanæ factionis potestatem atque perfidiam, stabiliamus. Sic inter nos uniti, nullos Hostium impetus timeamus; qui, nisi nostrâ culpâ, nobis neùtquam nocere possunt.

Et hoc quidem, Divinâ Gratiâ adspirante, brevi tentandum perficiendumque auguramur. Vos interim, FRATRES CHARISSIMI, hoc agite, ut saltem inter Vos ipsos Pax atque Concordia inviolabiliter conservetur. Summo quippe dolore, anno præterito accepi, dissensiones inter Vos ortas fuisse, de Capitulis aliquot circa Doctrinam de *Gratia Universalis*, aliisque quæstionibus longè difficillimis; in quibus Optimi Viri, & Doctissimi Theologi, idem per omnia haudquaquam sentiunt. Angit hoc sanè, idque non mediocriter, animum meum; Et quamvis nollem Vobis videri ἀλλοτριόεπισκοπεῖν, aut in alienam (quod ajunt) messem falcem meam immittere, permittite tamen ut in spiritu charitatis, eoque quò erga vos feror amore fraterno, Vos obsecrem, & in Domino obtester, ut in hujusmodi rebus, quatenus id fieri possit, idem sentiatis omnes; Quod si id nondum assequi valeatis, ut saltem sic alii alios feratis, ut nullum sit inter Vos schisma, nullus querimoniæ aliquorum adversus alios locus; Ut non nimiùm curiosi sitis in iis determinandis quæ Deus non admodum clarè revelaverit, quæque absque salutis dispendio tutò nesciri poterint. Quæ sapientissimi Prædecessores nostri, in omnibus suis Confessionibus, cautè tractanda censuerunt, eaque moderatione, ut universi in iis subscribendis consentirent: Et à quorum cautela sicubi postea discessum fuerit, contentiones, lites, inimicitia, aliaque infinita incommoda, protinus subsequuta sunt.

In his disquisitionibus *Lutherani* à *Reformatis* dissident; nec *Reformati* ipsi prorsus inter se conveniunt. Ecclesia Anglicana, optimo consilio, & exemplo ab omnibus imitando, nullius conscientia his in rebus jugum imponit. Quæ de illis in Articulis suis statuerit, talia sunt, ut ab omnibus ferè ex æquo admittantur. His contenta, nec ipsa aliquid ampliùs requirit, nec aliis permittit plus à quovis exigere, aut de istiusmodi quæstionibus aliquid curiosiùs statuere. Hinc summa inter Nos Pax, cum sobria sentiendi libertate conjuncta. Utinam

nam



nam & Vobis , iisdem conditionibus , concordia stabiliatur ! Utque Veteri Confessione Vestra Helveticâ contenti, neque alicui permetteretis aliter docere , neque ab aliquo quidpiam profitendum requireretis, ultra id quod ab initio requisitum fuerat ; cùm tamen summi illi Viri, *Calvinus & Beza* ( ut de aliis taceam ) secus de his Articulis sentirent, quàm alii plures ; quos tamen non solùm tolerandos, sed & pro fratribus habendos, ritè sapienterque judicârunt.

Hoc vobis non modò pacem inter Vos ipsos conciliabit , verùm etiam concordiam vestram cum aliis Ecclesiis Reformatis factam tectam tuebitur. Absque hujusmodi temperamento Unio illa cum Protestantibus tantoperè desiderata nullo modò iniri poterit. Vos igitur, FRATRES , seriò hæc, ut par est , considerate : Nec à Nobis, à plerisque aliis Reformatis , etiam à Vestris Antecessoribus , novis ac durioribus impositionibus , secedite. Ipsa Synodus Dordracena , à Rege nostro JACOBO monita, ut ad aliarum Reformatarum Ecclesiarum Confessiones , quantum in se foret, decreta sua conformaret, ita Canones suos fabricavit, ut vel illi qui in his ipsis Articulis explicandis ab invicem dissentirent, omnes tamen constitutionibus Synodi unanimiter subscriperint. Hæc Vos, VIRI PRUDENTISSIMI, ad moderata consilia capienda moveant, eaque sequenda quæ ad pacem & concordiam vestram servandam stabiliendamque conducant. Ipse verò Deus Pacis adeò vos omnes sancto suo Spiritu dirigat , ut ea semper meditemini , diligatis, faciatis , quæ Ecclesiæ suæ ædificationem in hoc sæculo promoveant ; ad æternam Vos ipsos gloriam atque felicitatem perducant in futuro : Ita ex intimis præcordiis vovet.

REVERENDI VIRI,

Fratres in DOMINO colendissimi,

*Vester in opere Evangelii conservus dilectissimus ;*

W. CANT.

EC-



ECCLESIAE ET ACADEMIAE GENEVENSIS

Pastores & Professores, *Resp. ad superiorem Illustriss.*  
 Archiepiscopi Cantuariensis *Epistolam.*

Hæc certè est, VIR REVERENDISSIME, Ecclesiarum Christianarum non exigua felicitas, & in mediis Antichristi adversus fideles Dei Servos machinationibus, solatium non leve, cùm excitantur à Deo Monarchæ, veræ FIDEI, non nomine tenus, sed re quoque ipsâ DEFENSORES, qui creditam sibi à Deo Opt. Max. potestatem in Ecclesiæ usus impendant: nec modò Ecclesias sibi subjectas, sed & Exteras etiam, terrarum ac marium intervallis distitas, umbone suo protegant, &c. Verùm ut ad officia ejusmodi excitentur qui imperant, innumeris aliàs in illo fastigio distracti curis atque negotiis, insignis procul dubio est usûs, imò planè necessarium, pios dari, ad Eorum latera, Deique zelo succensos Præsules, qui pacem Hierosolymorum verè cordi habeant, Ecclesiarumque omnium curâ, Pauli exemplo, veluti obsideantur; suasque proinde dignitates, non ad mundanam pompam, non ad sæcularia commoda (quod nimium multis toto Orbe Præsulibus solemne est) sed ad promovendum Dei regnum, Ecclesiâsque juvandas, referant: Quod quidem Te strenuè agere, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, hancque Tibi, in excelsa illa, quam occupas, statione, principem curam existere, nemo qui Te noverit inficiabitur.

Et hujus quidem sollicitudinis, verè piæ, tantòque Præsule dignissimæ, novum exstat luculentumque specimen, in altera illa Epistolæ tuæ parte, quâ de Concordia inter Protestantes ineunda, quo non aliud datur gravius momentosiusque negotium, verba facis, & saluberrima profers consilia. Quam rem certè, ut ad commoda Protestantium, eosque à Papali jugo vindicandos, summoperè utilem, imò planè necessariam, ita & hoc rerum statu, & Potentissimo vestro REGE, singulari planèque mirâ Dei Providentiâ, utriusque Communio- nis vinculo quasi existente, non possibilem duntaxat, sed & perfectu facillimam esse (quæ Tua etiam sententia est, PRÆSUL ILLUSTRIS- SIME) haud difficulter persuademur. Nec enim de mutanda à quo- quam sententia, aut damno cuiquam inferendo, hîc agitur; quod ut impetrare arduum, ita & rogare iniquum esset; sed de nobis mutuò duntaxat tolerandis, in iis ad quæ pervenire nondum datum est; cùm



cùm salva sit interim, Dei beneficio, apud utrosque fidei compages, neque quidquam in alterutrorum Cultu Cœtibúsque occurrat, quod beatæ illi coalitioni (absint modò humani affectus, partiúmque studia, & ex solo Dei Verbo res judicetur) intercedere valeat.

Neque verò alia unquam sedit, inde ab ipso Reformationis tempore, ad hodiernum usque diem, Ecclesiæ nostræ Theologisque nostris sententia: Quos omnes, & debitam florentissimæ Vestræ Ecclesiæ reverentiam habuisse, & animum ad pacem cum *Lutheranis* ineundam propensissimum nunquam non exhibuisse, monumenta plurima testantur. Nam, ut de ECCLESIA ANGLICANA primum dicamus, tantùm abfuerunt à damnando ejus regimine, à nostro quantumvis discrepante, Theologi nostri, ut eam contrà felicitatem Vobis perpetuam esse optaverint. Quo fit, ut Vestris Ordinationibus suis semper nostra in Ecclesia steterit honos; neque Nostri, in Anglia versantes, Communioni Vestræ sese adjungere, neque Vestri, saltem plerique, nostram Communionem nostrósque Cœtus frequentare, religioni unquam duxerint. Cujus quidem devotissimæ nostræ Vestram in Ecclesiam observantiæ, testes sunt bene multæ Theologorum nostrorum Epistolæ, aliaque documenta omni exceptione majora, quæ cùm à *Durello*, tum ab aliis, superiori Sæculo in lucem edita sunt. A quo tempore, si quid novi acciderit, hac una in re situm videtur, quòd, cùm novo indies splendore Ecclesia Vestra cæteris præluxerit, insigni Virorum Magnorum, Librorúmque cedro dignissimorum proventu illustrata, pari passu etiam creverint nostra in eam studia; quòdque ingentibus, à Regibus Vestris, Vestrisque Præsulibus atque Magnatibus, beneficiis ornati, ferventiora quam aliàs unquam, pro Iphis Vobisque, vota, publicè privatimque concipiamus.

Ad Fratres LUTHERANOS quod attinet, haud ignoras dubio procul, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quantas amoris significationes, quantam ineundæ cum Iphis concordia cupidinem, nullo non tempore exhibuerit Ecclesia nostra. Testantur publica atque privata, magno numero, Scripta: Illud imprimis, quod, urgente negotium hoc *Johanne Dureo*, anno 1655., Cœtus nostri nomine editum est; nec non & datæ ad FRIDERICUM I. Borussia Regem Literæ, anno 1707.; quibus Augustissimus ille REX, humanissimum zelique plenissimum, haud dedignatus est responsum dare. Nec multò post, propensissimi nostri in pacem illam studii ulterius demonstrandi ergò, postulantis Lutheranis quibusdam, ut sui moris Ecclesiam hîc institui liceret, Cœtus noster, habitâ hac de re unâ atque alterâ délibe-

X

ratione



ratione, non modò non adversatus est, sed & Patronum ac interces-  
sorem Lutheranis se præbuit; Quo factum ut res, ab Amplissimo  
Magistratu nostro, XXV--Viris primùm, deinde & CC--Viris, nul-  
lâ morâ neminéque reluctante, concessa sit. Quibus omnibus abun-  
dè patet, neque nos quidquam hæctenus, quod ad beatissimum illud  
opus pertineret, prætermisisse, neque quidquam etiam in posterum,  
quod in nostra futurum sit potestate, desiderari eundem in finem à  
nobis passuros.

Cæterùm hæc est, VIR REVERENDISSIME, singularis Dei  
in nos benignitas, nostræque felicitatis pars non temnenda, quòd de  
iis Quæstionibus, quas Tu memoras ad Tuæ calcem Epistolæ, ne mini-  
ma quidem nunc intercedat inter nos controversia. Fuerant olim, non  
diffitemur, quædam ejusmodi inter nos dissidia: Verùm illa, per Dei  
gratiam, à multis jam annis valere iussimus. Agnovimus quippe (at-  
que utinam id cœteri omnes pariter agnoscant!) tanti non esse Quæ-  
stiones illas, ut eapropter alios ab aliis damnari, pacémque Ecclesiæ  
turbari oporteat. Unde si qua fortè intercedat, in concipiendis mo-  
dis notionibusve ipsis, diversitas, (ut sunt varia hominum ingenia,  
ingensque in rebus ejusmodi humanarum mentium caligo) neque ad  
pulpita unquam defertur, neque piæ atque fraternæ animorum con-  
sensionis quidquam detrahit. Quâ quidem Christianâ moderatione, in  
rebus (quod Tu observas) per sese difficillimis, neque ad salutem  
necessariis, duò longè maxima lucrati sumus, quòd firmo stet jam talo  
quies nostra, neque ampliùs Exterorum, seu Lutheranorum, seu alio-  
rum, nobiscum non planè sentientium, offensionis aut querimoniis  
locus supersit.

Hiscè vides, RRÆSUL ILLUSTRISSIME, nos in Tuam, de toto  
hoc negotio, sententiam pedibus ire, præstantissimæque Vestræ Eccle-  
siæ, & prudentissimorum ejus Antistitum, hac in parte, vestigia legere:  
Cui ut Tu, ILLUSTRISSIME DOMINE, ad provectissimam usque  
ætatem felicissimè præsis, sisque Tuis nobisque omnibus, quemadmodum  
hæctenus fuisti, singulari præsidio atque ornamento, à Deo Opt. Max.  
boni omnis doni largitore, contendimus. Hæc scribunt, hæc precan-  
tur, &c.

ACTA



# ACTA AUTHENTICA

*inita non semel, vel saltem admodum promotæ,  
in variis Synodis, Colloquiis & Conventibus,  
Lutheranorum cum Reformatis Concordiæ.*

## COLLOQUIUM MARPURGENSE

*inter Lutherum, Melanchthonem, &c., ab una parte,  
Zuinglium, Oecolampadium, &c., ab altera;  
an. 1529. Postquam de cæteris omnibus Articulis  
inter ipsos convenisset, de Eucharistia, quæ sola fuit  
dissidii materies, sic ab iis statutum est.*

Decimò-quartò, credimus, & certò statuimus omnes, de Cœna Domini nostri Jesu Christi, quòd utraque parte Cœnæ, secundum institutionem, utendum sit; Et quòd Missa non sit opus quo alter alteri, vivis aut mortuis, impetretur gratia: Quod Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis & sanguinis Jesu Christi: Et quòd spiritali manducatione illius Corporis & Sanguinis, singulis Christianis præcipuè opus sit. Similiter, quòd usus Sacramenti, perinde ut Verbum, à Deo Omnipotente sit ordinatus, ut ad veram fidem & dilectionem conscientia imbecilles moveantur per Spiritum Sanctum. Et quanquam in eo (An verum Corpus & Sanguis Christi corporaliter sit in Pane & Vino) hoc tempore nondum consensimus; tamen utraque Pars, quantum omninò ferre potest cujusque conscientia, caritatem mutuam præstare debet. Utraque etiam Pars Deum Omnipotentem sedulò invocare debet, ut per Spiritum suum nos in vera sententia confirmare velit. Amen.



CONCORDIA WITTEMBERGENSIS,

*cui subscripsere, ab unâ parte Mart. Lutherus, Philipp.  
Melanchthon, &c. ab alterâ Wolfg. Capito,  
Mart. Bucerus, &c. Anno 1536.*

I. Confitemur, juxta verba *Irenæi*, constare Eucharistiam duabus rebus, *terrenâ & cœlesti*. Itaque sentiunt & docent cum Pane & Vino verè & substantialiter adesse, exhiberi, & sumi Corpus Christi & Sanguinem. II. Et quanquam negant fieri *Transsubstantiationem*, nec sentiunt fieri *localem inclusionem* in Pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti: tamen concedunt, *Sacramentali unione*, Panem esse Corpus Christi, hoc est, sentiunt porrecto pane simul adesse & verè exhiberi Corpus Christi. Nam extra usum, cum asservatur in pixide, aut ostenditur in Processionibus, ut fit à Papistis, sentiunt non adesse Corpus Christi. III. Deinde hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate Ministri, aut sumentis; &c.

CONSENSUS SENDOMIRIENSIS,

*inter Ecclesias Majoris & Minoris Poloniæ, Russiæ, Lithuaniæ, & Samogitiæ, &c. quæ Confessionem Augustanam, Fratrum Bohemorum, & Helveticam sequuntur. Anno 1570. Die 14. Aprilis.*

PRIMUM, quemadmodum & nos qui in præsentì Synodo nostram Confessionem edidimus, & Fratres, nunquam credidimus, eos qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quàm piè & orthodoxè sentire de Deo & sacra Trinitate, atque incarnatione Filii Dei, & Justificatione nostra, aliisque præcipuis capitibus Fidei nostræ: Ita etiam ii, qui Augustanam Confessionem sequuntur, professi sunt candidè & sincerè, se vicissim tam de nostrarum Ecclesiarum quàm de Fratrum Bohemicorum ( quos quidam rerum ignari *Waldenses* vocant ) Confessione de Deo & sacra Triade, incarnatione Filii Dei, Justificatione, & aliis primariis Capitibus Fidei Christianæ, nil agnoscere



scere, quòd sit absolum ab Orthodoxa veritate & puro verbo Dei. Ibiq̄ sanctè invicem polliciti sumus, unanimiter secundùm regulam Verbi Dei, nos defensuros Consensum hunc mutuum in vera & pura Christi Religione, contra Pontificios, contra Sectarios, contra denique omnes hostes Evangelii & veritatis.

DEINDE verò, quantum ad infœlix illud diffidium de *Cœna Domini* attinet, convenimus in sententia verborum Domini Nostri Jesu Christi; ut illa orthodoxè intellecta sunt à Patribus, ac imprimis *Ire-naeo*, qui duabus rebus, scilicet terrena & cœlesti, hoc mysterium constare dixit: Neque elementa signave nuda & vacua illa esse asserimus, sed simul re ipsâ credentibus exhibere & præstare fide, quod significant: Denique, ut expressiùs clariùsque loquamur, convenimus, ut credamus & confiteamur, substantialem præsentiam Christi non significari duntaxat, sed verè in Cœna eo vescentibus, repræsentari, distribui, & exhiberi Corpus & Sanguinem Domini, symbolis adjectis ipsi rei minimè nudis, secundùm Sacramentorum naturam. Ne verò diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit præter Articulum, qui est insertus nostræ Confessionis, mutuo consensu adscribere Articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum de *Cœna Domini*, ad Tridentinum Concilium, anno Domini 1551. missæ: Quem etiam pium agnoscimus & recipimus. Cujus Confessionis hæc sunt verba: *Et Baptismus & Cœna Domini sunt pignora & testimonia gratiæ, ut antea dictum est, quæ de promissione & tota redemptione nos commo-nes faciunt, & ostendunt beneficia Evangelii ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur, &c. Item. Nec admittuntur ulli ad Communionem, nisi priùs à Pastore aut Collegis ejus auditi sint, & absoluti. In hac exploratione interrogantur & erudiuntur rudiores de tota doctrina, & deinde absolutio promulgatur. Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones divinitùs institutas, & extra usum institutum, res ipsas non habere rationem Sacramenti: Sed in usu instituto in hac communionem verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus Corpus & Sanguinem Christi: Testari Christum, quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo; &c. Omnia hujus Articuli verba integra.*

Hujus autem sancti mutuique **CONSENSÛS** vinculum fore arbitrati sumus, convenimusque, ut quemadmodum illi nos nostrasque Ecclesias & Confessionem nostram in hac Synodo publicatam, & Fratrum, Orthodoxas esse testantur, sic etiam nos illorum Ecclesias eodem Christiano amore prosequamur, & Orthodoxas fateamur; ex-



tremumque vale dicamus , & altum silentium imponamus omnibus rixis , distractionibus , dissidiis , quibus Evangelii cursus , non sine maxima multorum piorum offensione , impeditus est , & unde Adversariis nostris non levis calumniandi & veræ Christianæ Religionis nostræ contradicendi occasio sit subministrata. Quin potius Paci & Tranquillitati publicæ studere , Charitatem mutuam exercere , & operas mutuas ad ædificationem Ecclesiæ , pro fraterna conjunctione nostra , præstare debemus.

Adhæc recipimus mutuo consensu , omni studio nostris Fratribus omnibus persuasuros , atque eos invitatuos , ad hunc Christianum & unanimum Consensum amplectendum , colendum & conservandum , illumque alendum & obfirmandum , præcipuè auditione Verbi ( frequentando tam hujus , quàm alterius cujusque Confessionis Cœtus ) & Sacramentorum usu : observato tamen recto ordine & gradu , tam disciplinæ , quàm consuetudinis uniuscujusque Ecclesiæ.

Ritus autem & Cæremonias uniuscujusque Ecclesiæ , liberos , hanc CONCORDIA , & Conjunctione , relinquimus. Non enim multum refert , qui ritus observentur , modò facta tecta & incorrupta existat ipsa Doctrina , & Fundamentum Fidei ac Salutis nostræ : Quemadmodum & ipsa Confessio Augustana & Saxonica de ea re docent : Et in hac Confessione nostra , in præsentis Synodo *sendomiriensi* publicata , id ipsum expressimus. Quamobrem consilia officinæ Charitatis mutua inter nos conferre , & in posterum de conservatione & incremento omnium totius Regni , *Lithuanicæ , Samogitiæ , Piarum , Orthodoxarum , & Reformatarum Ecclesiarum* , tanquam de uno corpore , consulere polliciti sumus , ac recepimus. Et si quando Synodos generales celebrabunt , nobis quoque significant ; & ad nostras etiam generales vocati , non gravatim veniant , si opus fuerit.

Atque ut colophonem huic Consensui , & mutux Concordiæ imponamus , ad hanc fraternam societatem conservandam tuendamque non incommodum fore putamus , in locum certum convenire , ubi unà , ex mutuis Confessionibus , compendium corporis Doctrinæ ( improbitate hostium veritatis ad id adacti ) eliceremus , & in publicum ederemus : ut invidorum hominum ora obturarentur , cum maximo omnium Piorum solatio : sub titulo omnium Ecclesiarum , *Polonicarum Reformatarum , & Lithuanicarum , & Samogiticarum* , nostræ Confessioni consentientium.

Datis junctisque dextris , sanctè promisimus & recepimus invicem omnes , Fidem & Pacem colere , fovere , & indies ad ædificationem  
Regni



Regni Dei magis magisque amplificare velle : omnesque occasiones distractionis Ecclesiarum evitatuos. Denique se immemores & oblitos sui ipsius, ut veros Dei Ministros decet, solius Jesu Christi Salvatoris nostri gloriam promoturos, & Evangelii ipsius veritatem propagatuos, tum dictis, tum factis, recepimus.

Quod ut foelix, ratum, firmumque sit in perpetuum, oramus ardentibus votis Deum Patrem, totius consolationis & pacis authorem & fontem uberrimum; qui nos nostrasque Ecclesias, ex densis Papatibus tenebris eripuit, donavitque puro Verbi sui & Sacrosancto Veritatis lumine; Hancque nostram sanctam Pacem, consensionem, conjunctionem, & unionem benedicere, ad sui Nominis gloriam, & Ecclesiae aedificationem, velit. Amen.

*Consensus ille Sendomiriensis saepe saepius postea confirmatus est; puta Pofnaniae eodem anno 1570. Cracoviae an. 1573. Petricovii an. 1578. Wlodislaviae an. 1583. Torunii an. 1595. Quarum Synodorum & Conventuum Acta, utut piissima & laude dignissima, brevitati studentes omittimus*

## COLLOQUIUM LIPSIACUM,

*inter Theologos Saxonicos ab una parte, Brandenburgicos & Hassiacos ab altera,  
Anno 1631.*

Posteaquam, singulari Providentiâ Dei, plerique Illustrissimorum Procerum ac Statuum Germaniae Protestantium, indicti Conventus celebrandi ergo, Lipsiae essent congregati: Qui tum in comitatu Eorum agebant: *D. Job. Bergius*, Serenissimo Elect. Brandenburgico à Concionibus; *D. Job. Crocius & Theophilus Neuberger*; Illustrissimi Hassiae Landgravii Guilielmi Ecclesiastes, alter, alter Theologus, pro suo in pacem & concordiam studio, ex Theologis Saxonis, *D. Matthiam Hoë*, Sereniss. Electoris Saxonici praecipuum Concionatorem Aulicum, duos item primarios in Academiâ Lipsiensi Theologiae Professores, *D. Polycarpum Leyserum* Superintendentem, & *D. Henricum Hopfnerum*, ultrò adierunt, multisque apud ipsos miserati sunt

acria



acria illa hæctenus ab utriusque Ecclesiæ Theologis inter ipsos alita certamina ; nimirum Pontificiis sic non exiguam exultandi ansam præbitam. Nec sanè in obscuro esse , quantum mali ex hisce dissidiis natum , quantoperèque in lucrum & emolumentum suum eadem Papatu verterit.

Quandoquidem verò non sibi tantùm , sed & clementissimis Principibus ac Dominis suis, nihil gratius & exoptatius futurum sit, quàm ut lites ac dissensiones illæ , vel prorsus componantur , vel leniantur saltem ac minuantur : Idcirco quàm humanissimè à Dominis Saxonici contendere , ut , si ita commodum ipsis videatur , præsentis occasione in Colloquium secum ingredi , periculum facere ne graventur , quousque in tam laudabili , totique Evangelicæ rei maximè profuturo opere , procedi & perveniri posset : Neque id tamen aliâ conditione , quàm ut privata hæc negotiatio libera prorsus , neutrique parti vel levissimo præjudicio sit : Se quidem ad præstanda ea omnia , quæ ad faciliorem ejus expeditionem , salvâ modò conscientia , ab ipsis proficisci possent , omnium paratissimos. Neque minùs certos , nihil isthoc pacto apud clementissimos Dominos suos offensuros , sed facinus potiùs longè ipsis gratissimum designaturos.

Ad quæ *Saxonici* ; Neque se nescire & summopere itidem deplorare , magno Evangelicis Ecclesiis incommodo , concertationes istas in tantum cumulum hæctenus excrevisse ; optare ex animo , salutaria ad compositionem earundem media Deus largiatur : Quòd si ritè , & citrà Veritatis Divinæ detrimentum , vel sanguine suo concordiam redimere daretur , neminem ejus profundendi cupidiorumque promptiorumque ipsis futurum : Ambigere tamen non parùm , cùm res ipsa maximi momenti sit , universalique utrinque Ecclesias & Theologos ( quorum libertati sentiendi ne minimum quidem obicem ponere fas sit ) spectet , an in tanta temporis angustia , & à tam paucis hominibus aliquid quod operæ pretium sit , effici possit. Non ignotum Dominis Brandenburgicis & Hassiacis Theologis esse , & hîc meritò locum habere illud ; Quod omnes tangit , ab omnibus curari debet : & quot capita , tot sensus : sui præterea officii esse , hæc priùs ad Sereniss. Electorem Saxonix , Dominum suum Clementissimum , ejusque spectatissimos Consiliarios deferre , quibus insciis , ne minimum quidem aggredi audeant , in re Statui publico tam validè innexa.

Cui sententiæ equidem non adversi *Brandenburgici* & *Hassiaci* Theologi , id tamen subjunxere , modò jam initium rei fieret , ac veluti fundamentum ejus jaci inciperet , neutiquam se dubitare , quin & reliqui



liqui Germaniæ Theologi posthac faciliores se sint præbituri, tandemque & in aliis Regnis ac Provinciis, quantum ad principale opus, assensus facilè sit subsequiturus; si præsertim progressu temporis, ipsi quoque Principes & Magistratus, ad tam ardui negotii promotionem, operam & curam suam conferant: suos certè clementissimos Dominos nihil hac ex parte in se desiderari passuros. Et de Serenissimo Electore Saxonie se eadem spe teneri, cum nihil prorsus detrimentosi cuiquam peterent; sed tantùm ad sanandam perniciosam illam Evangelicarum Ecclesiarum scissuram diligentiam adhibere omnem ex animo cuperent, hos ipsorum conatus Serenissimam Celsitudinem ejus minimè averaturam.

Hujus igitur, ut & Consiliariorum ejus, impetrato in hoc proposito consensu & approbatione, hætenus ut privata tantùm, nulliusque juribus quicquam prorsus derogans, collatio institueretur, & quidem eo fine, ut expendatur & cognoscatur; An & quatenus in Confessione Augustana utraque pars consentiat? vel, An & quatenus propior inter utramque partem conjunctio iniri posset? in nomine S. Sanctæ Trinitatis Theologi utrinque, in ædibus præcipuo Elect. Saxo. Concionatori Aulico pro tempore assignatis, 3. Martii, tempore matutino, primùm convenère, statimque principio *Brandenburgici & Hassiaci* Theologi ultrò professi sunt, se ore & corde Augustanam in Comitibus anno 1530. 25. Junii, Imperatori *Carolo V.* laudatissimæ memoriæ à Principibus & Statibus Imperii exhibitam Confessionem amplecti, sinèque ullo scrupulo, quandocunque desideraretur, eidem subscribere paratos esse, adeò ut ne detrectaturi quidem sint, Exemplaris ejus, quod in pupilla Saxonica extat, subscriptione, consensum suum testari: Idque eò libentiùs, quod sicuti ad munus suum, non nisi approbatâ prius Confessione Augustanâ admissi fuerint, ita & eidem Confessioni in Electoratu Brandenburgico & Ducatu Hassiæ, non minùs ac ipsi Principes sui, publicè semper adhæserint, inque Ecclesiis ac Scholis suis eandem constanter tradiderint. ———

Post hæc utriusque partis Theologis per singulos Augustanæ Confessionis Articulos ire placuit, suamque de iis mentem in medium proferre. *Primus* Articulus per omnia probatus fuit &c. ———  
De *Secundo*, Theologi consensere. &c. ——— *Tertius* Articulus accuratè perpensus fuit: *Brandenburgicis & Hassiacis* ita animi sui mentem aperientibus, omnia secundùm literam & verba se amplecti & probare Articulo isto prolata: quippe non minùs ac Saxonicos sincerè se credere, Dei Filium verum hominem factum, natum ex Maria virgine

Y

&c.



&c. --- Quandoquidem verò Tertii Articuli verba aliter à Brandenbur-  
gicis & Hassiacis, aliter à Saxonis intellecta, indè que satis acria hæte-  
nus in diversis capitibus certamina orta esse neutri diffiterentur; haud  
abs re visum fuit, ulteriorem de tam sublimibus arduisque materiis im-  
presentiarum tractationem institui. Tandemque re ultrò citròque ex-  
aminatâ, in sequentes Articulos utrisque consensum fuit. 1. Filium Dei  
perfectam, ex anima & corpore constantem, humanam Naturam, in  
utero duntaxat Virginis Mariæ, in unitatem Personæ Divinæ assumpsisse,  
ita ut, vi Unionis Personalis, Filius Dei non tantùm verbaliter, sive  
verbo-tenus, sed verè & re ipsa homo, & vice versâ, homo (scilicet)  
Christus non verbaliter, sed etiam verè Filius Dei sit, Personaque il-  
la omnes utriusque Naturæ proprietates communes sibi habeat, illæque  
rectè de ea prædicentur. 2. Duas Naturas in Christo, Divinam &  
Humanam, indissolubiliter & inseparabiliter inter se unitas esse, &  
nullo tempore, nullòve loco, tam in statu exinanitionis, quàm exalta-  
tionis, earum vel dissolutionem vel divisionem factam, nec unquam,  
in ipsâ etiam morte, unam ab altera distractam sive divulsam fuisse.  
&c. ——— 3. Non solùm ambas Naturas prorsus indivisè & indif-  
solubiliter, intime, sed etiam inconfusè & absque ulla conversione,  
commixtione, & exæquatione, tam ipsarum Naturarum, quàm ea-  
rum Proprietatum, unitas esse. Ut enim Divina Natura per unio-  
nem personalem, non Humana; sic neque hæc Divina facta est: Verùm  
Natura Divina manet Divina, humanitas etiam vera Humana Natu-  
ra est, & manet in æternum: Ita etiam Divinæ Proprietates Divinæ  
Naturæ proprietates manserunt, & nunquam Humanitatis proprie-  
tates factæ sunt: sicut & Humanitas suas proprietates retinuit, quæ  
nunquam Naturæ Divinæ proprietates factæ fuerunt. 4. Et tametsi  
pati & mori Humanæ tantùm Naturæ proprietas sit, minimè tamen  
nudam Humanitatem passam, sed ipsummet Filium Dei *Dominum Glo-  
ria*, I. Cor. II., *Ducem vitæ* Act. III. *Benedictum Deum ab æterno* pas-  
sum esse juxta carnem, sibi que passionem appropriasse, sive ut pro-  
priam vindicasse, &c. ——— 5. Has duas locutiones, ipsam nimi-  
rum Deitatem passam, item, nudam carnem tantùm passam, esse à  
Scriptura alienas, ac propterea meritò ab iis abstineri. 6. In Chri-  
sto non modò verbotenus, sed verè *plenitudinem Deitatis corporaliter*  
*habitare*, Col. I. Totumque Christum, citra divisionem naturarum, om-  
niscium, omnipotentem, & Omnipræsentem esse, non quidem,  
quasi Omniscientia, Omnipotentia, & Omnipræsentia etiam Humanæ  
Naturæ proprietates fiant, vel ipsi in, per, & ex sese competant,  
multò



multò minùs hæ proprietates essentialiter in carne Christi hæreant ; sed sint & maneat duntaxat Proprietates Divinæ Naturæ , & nihilominus tamen toti Personæ , Deo & Homini , propter intimam personalem ambarum Naturarum unionem adscribantur. 7. Totum Jesum Christum in una indivisa Persona , ut *θεῶν ἰσῶπων* , id est, Deum & Hominem citra ullam exclusionem vel separationem Humanæ Naturæ , adorandum , & fiduciam in illo ejusque merito collocandam esse , uti in Concilio Niceno hac de re conclusum fuit. 8. Totum Jesum , in una indivisa Persona , Deum & Hominem , in cœlo & in terra omnipræsentem (tamen absque localitate corporali) omnia regere & omnibus dominari , *ab uno mari usque ad alterum* , Pl. LXXII. *Omnia ipsius pedibus subjecta* , Pl. VIII. &c. — 9. Utraque pars descensum Christi ad inferos pro gravi & arduo Articulo Fidei habet, qui non magis ac alter de Sessione ad dexteram , humanâ Ratione possit penetrari , &c. — 10. Utrique affirmant Christum , non in utero Matris , sed quadragesimo demùm die post Resurrectionem suam , in cœlum adscendisse ; & quamvis verè , localiter , & visibilter , & non per disparentiam in Cœlum adscenderit , — tamen eum Cœlo inclusum non esse. 11. Fatentur utrique per Dexteram Omnipotentis Patris , neque certum , neque creatum locum , neque per Sessionem ad dexteram Dei , localem vel corporalem situationem intelligendam esse , sed Dexteram Dei esse Majestatem , Robur , & Potentiam Dei , &c. — Sedere autem ad dexteram Dei esse idem , ac habere Christum æternum regnum & dominium , illudque etiam , post ascensionem in cœlum , perfectè & gloriosè , secundùm utramque Naturam , in omnes Creaturas administrare , inprimis verò gubernare suam Ecclesiam , ut ipsius caput , per quod Pater omnia gubernat , quodque ab omnibus vult honorari & adorari. 12. De officio Domini Jesu Christi ita utrique sentiunt , eum ipsum Jesum scilicet , juxta duas Naturas , sanctum Mediatoris & Redemptoris officium obivisse. &c. — Præter hæc verò Theologi *Saxonici* , & id manifestæ Veritatis esse professi sunt : Dominum Salvatorem Jesum , non tantùm secundùm Divinam , sed etiam Humanam Naturam , verè Omniscium , Omnipotentem & Omnipræsentem esse ; sic tamen ut Omniscientia , Omnipotentia , & Omnipræsentia , non ut naturales proprietates , sed ut per Unionem Personalem & per subsecutam ad dexteram Dei exaltationem , ei communicatæ statuatur , eidemque in Persona , & non seorsim extra ipsam attribuantur. Firmâ ipsis semper hac Regulâ : Quicquid Gloriæ , Pôtentiæ , Majestatis , & Honoris



noris Christus in tempore accepisse dicatur, id non ad Divinam sed Humanam tantum ejus Naturam, referendum esse, secundum quam Christus potuerit extolli, eique ex gratia nomen supra omne nomen tribui, prout antiqua habet regula. Excelsus non exaltatur: sed Caro excelsi exaltata est: hoc est, qui jam, ut Deus, naturam Excelsus, imò Excellentissimus est, is demum in tempore exaltari nequit. Caro verò Excellentissimi, in tempore, non tamen extra Personam, sed in Persona, ad infinitam Divinam Majestatem, Gloriam, & Honorem evecta & exaltata est.

*Brandenburgicorum* contra & *Hasfiacorum* sententia fuit: Fateri sese libenter, Deitatem Christi, vel Christum juxta Deitatem propriè exaltatum non esse; neque etiam novam internam gloriam, honorem, potentiam, & Majestatem juxta Deitatem in seipsa accepisse, cum secundum eam sit ac maneat ab æterno Altissimus, Potentissimus, & Perfectissimus: Sed nec etiam Humanam Naturam per se tantum & seorsim exaltatam esse, quemadmodum quoque illa, nec per se tantum, nec seorsim passa est: sed Personam Filii Dei in carne ad mortem crucis esse exinanitam, & in carne per resurrectionem, ascensionem in cœlum, ac sessionem ad dexteram Patris exaltatam, & per eam exaltationem Humanam Naturam glorificatam & supra omnes creaturas evectam esse. Deitatem verò, non in se, & per se, sed nobis tantum hominibus, perfectiùs glorificatam & patefactam. Officium item Mediatorium, totamque potestatem & gloriam Officii, non uni vel alteri Naturæ seorsim, sed toti Personæ Filii Dei in carne à Patre traditam esse. Quod officium quoque, ut antea dictum, secundum ambas Naturas simul obeat. Fateri porrò, Christum, non tantum secundum Deitatem, sed etiam Humanitatem, per illuminationem & cooperationem Deitatis, omnia scire & efficere posse, quæ quolibet modo ad officium ejus spectant. Item illum, non modo juxta Divinam, sed & Humanam Naturam, Ecclesiæ suæ in terris, efficaci operatione, gratia, & auxilio semper præsentem esse, eamque potenter tueri, conservare & regere in medio hostium, secundum promissionem: *Ego sum vobiscum usque ad finem mundi*, &c. & rursus, *Ubi duo vel tres*, &c. Hoc tantum constanter se, ut S. Scripturæ contrarium, negare; Christum secundum Humanitatem aut Humanam Naturam & essentiam, vel Corpus Christi, seu in statu exinanitionis, seu in statu exaltationis, ob personalem unionem, aut sessionem, aut imperium ad dexteram Dei, substantiam suam, invisibili modo, in omnibus locis præsens adesse. Negare item, reliquas proprie-



prietates divinas, omniscientiam aut omnipotentiam, ita Humanæ Naturæ esse communicatas, ut ea, eodem prorsus modò, quo Divina, omniscia, omnipotens facta sit, idque in abstracto, ut in Scholis loquuntur, i. e. nominibus Naturæ rectè ei tribui possit: Postremò optimam ad consensum in hoc Articulo viam arbitrari, si in tam sublimi Mystério, ex tantùm loquendi formulæ quæ in S. Scripturas, in antiquis Oecumenicis Conciliis, & Augustana confessione, disertim habentur, retineantur, prout & ipsi nullis aliis loquendi modis sese sint astricturi: Quos *Saxonici* futuræ colloctioni & uberiori deductioni reservare voluerunt. Atque tantùm de Articulo tertio, — Cui Theologi utrinque addidère, toto pectore se damnare & rejicere omnes Veterum Recentiorumque Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, &c. errores &c.

*Quartus* itidem Articulus ( *de merito Christi* ) nihil inter ipsos controversi habuit, expressè testantibus *Brandenburgicis* & *Hassiacis*, eundem semper à se approbatum, nihilque aliud hac ex parte publicè dictum fuisse, quàm Christum Dominum & Servatorem pro omnibus Hominibus mortuum esse, suaque morte pro totius mundi peccatis, plenè, sufficienter, & in se efficaciter satisfecisse. Neque simulatam aliquam, sed veram, sinceram & seriam voluntatem ejus ac mandatum esse, ut omnes in ipsum credant, ac per fidem salventur. Sicut nemo efficacia & fructu satisfactionis Christi excludatur, nisi qui ipse sese per incredulitatem excludat.

Iidem Articulos sequentes, 5. 6. 7. & 8. sine omni exceptione, æquè ac *Saxonici*, receperunt, quippe qui ad eundem modum in suis Ecclesiis semper traditi fuissent. Similiter & 9<sup>um</sup> &c.

*Decimo*, de S. Cœna, *Brandenburgici* & *Hassiaci*, prout in Confessione Anni 1530. habetur, per omnia sunt assensi; Rejicientes unà cum *Saxonicis* Pontificiam Transsubstantiationem, concomitantiam, & perpetuam Sacramentalem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, extra mandatum usum, *συνστίαν*, coëxistentiam, in-existentiam, omnem localem & corporalem modum corporis, & adorationem ad panem, sive ad speciem panis directam.

Præterea confessi sunt, in S. Cœna, non tantùm vera elementa Panis & Vini, vel tantùm efficaciam & operationem, vel nuda signa Corporis & Sanguinis, sed & ipsum verum essentialè Corpus pro nobis traditum, & verum essentialè Sanguinem Christi pro nobis effusum, mediante Pane & Vino benedictò, verè adesse, exhiberi, distribui & percipi, vi unionis sacramentalis, quæ non consistit in nuda



significatione , neque tantùm in obfignatione , verùm in conjuncta indivifa diftributione terrenorum elementorum & veri Corporis & Sanguinis Chrifti. Quæ tamen Sacramentalis Unio , non extra actionem a Chrifto præceptam , in ea locum habet.

Porrò unanimi utrinque confenfu teftati funt etiam , in fpirituale perceptione , non modò virtutem , efficaciam & operationem , verùm ipfam etiam fubftantiam Corporis & fanguinis Chrifti in ufu S. Cœnæ , quæ hîc in terris peragitur , percipi ; hoc eft , fpiritaliter per veram fidem manducari & bibi , & hanc fpiritualem fruitionem ad salutarem S. Cœnæ ufum maxime neceffariam effe.

Nec minùs utrique in eo fuère concordés , quòd in Sacramenti perceptione , terrena elementa & Corpus & Sanguis Chrifti unà accipiantur. Eam verò perceptionem , organo oris , tam ab indignis , quàm dignis , fieri , *Brandenburgici & Haffiaci* concedere noluerunt. Nam , utut non inficiarentur , mediante Pane & Vino benedicto , verum Corpus & Sanguinem Chrifti præfentem accipi , id tamen non fieri ore , fed tantùm fide , quâ Corpus & Sanguis Domini iis qui S. Cœna utuntur , fpirituale modo uniatur. Indignis verò offerri tantùm Corpus & Sanguinem , non verò ab iis per incredulitatem ipforum recipi , fed prorfus ejici & contemni.

Contra *Saxonicis* immotum fuit , in S. Cœna , mediante Pane & Vino benedicto , verum Corpus & Sanguinem Chrifti oraliter manducari , & bibi , prout verba fonant ; *Edite & bibite*. Et quamvis benedictus Panis & Corpus Domini in Sacramentali fruitione ab omnibus Communicantibus , uno & eodem oris organo , five ore corporeo percipiatur , nihilominùs tamen hanc perceptionem , quod ad modum , diverfâ ratione fieri : ita nempe , ut cum ore Panis & Vinum immediatè , & oraliter percipitur , Corpus & Sanguis Chrifti non immediatè fed vi elementorum benedictorum , cœlefti & fupernaturali , Deoque foli noto modo , abfque ulla carnali & naturali masticatione , in ftomachum demiffione & concoctione Corporis & Sanguinis Chrifti , ore percipiatur.

Quanquam verò , quantum ad hanc Decimi Articuli de orali manducatione partem , confenfus tum temporis iniri non potuit , fed , quemadmodum olim *Marpurgi* , Anno 1529. tota hæc materia fepofita fuit , *Brandenburgici* tamen & *Haffiaci* concordiam Chriftianam nihilominùs fanciri , aut mutux tantùm tolerantiæ locum effe poffe arbitrati funt : neque enim fe alios , fi alii modò ipfos non damnent , aut opiniones fuas neceffarii inftar Articuli Fidei , obtrudere præ-



præsumant, damnare velle ; interim non dubitare , cùm in reliquis præcipuis hujus Articuli partibus inter utrosque conveniat , quin nihilominus junctis viribus Papatus ab utraque parte possit oppugnari. De quo consilio , cùm *Saxonicis* ampliùs in timore Domini deliberandum , cum pluribusque Theologis communicandum videretur , & id tum in medio relictum fuit.

De *Undecimo* Articulo Confessionis Augustanæ , *Brandenburgicorum* & *Hassiacorum* sententia fuit , receptam in quibusdam Ecclesiis Confessionem , si sine abusu , & tanquam res adiaphora adhibeatur , pro licita , Christiana , & pia cæremonia à se haberi , &c.

In 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26: 27. & 28. Articulis , ab utraque parte per omnia est consensum , *Brandenburgicis* & *Hassiacis* ad 19. Articulum expressè statuentibus : Deum nec causam , nec authorem Peccati esse , neminemque ad incredulitatem condidisse , aut absoluto decreto ad peccatum damnationemve prædestinasse. Tametsi verò in Augustana Confessione , doctrina de æterna Prædestinatione expressè non contineatur , Theologismen utrinque è re visum est , & de hoc capite , tot tantisque litibus hætenus exagitato , mentem suam planiùs aperire : *Brandenburgici* igitur & *Hassiaci* unanimiter à se semper assertum & creditum testati sunt.

1. Deum ab æterno ex toto perditò Genere Humano , non omnes , sed quosdam homines , quorum numerus & nomina soli ipsi nota , in Jesu Christo elegisse ; quos deinceps , tempore suo , vi & operatione verbi & spiritûs ad fidem in Christum illuminet , & renovet , in ea ad finem usque conservet , tandemque per eam æternæ salutis participes reddat. 2. Deum nullam causam , occasionem , antecedensve medium , vel conditionem hujus electionis in Electis reperisse aut prævidisse ; eoque nec bona ipsorum opera , nec fidem , nec primam ad salutarem fidem inclinationem , motum , aut promptam ejusdem receptionem ; sed quicquid in ipsis boni est , id omne ex mera & liberrima Dei gratiâ , illis præ aliis ab æterno in Christo destinata , datâque ; tanquam ex fonte profluere. Deum ab æterno quoque in peccatis & incredulitate perseverantes æterno exitio addixisse , non quidem absoluto ejusmodi decreto , ac si maximam partem mundi , aut ullum hominem , sine peccatorum , & incredulitatis ipsius respectu , ad sempiternam damnationem aut causam ejusdem , vel ab æterno præordinârit , vel in tempore creârit : sed reprobationem , non minùs ac damnationem , ex justo judicio , cujus  
in



in ipsis hominibus causa est, peccatum nempe, impenitentia, & incredulitas, factam esse: Sic ut omnis Reprobationis & Damnationis Infidelium causa penes ipsos resideat; causa verò Electionis & Salvationis Fidelium in mera gratia Dei, in Jesu Christo, sita sit, ex ipsius verbi Dei sententia: *Perditio tua ex te, ô Israel, at salus tua penes me solum est.* Quemlibet igitur de sua electione & fide, non à priori, ex occulto scilicet consilio Dei, sed à posteriori, ex revelato Verbo Divino, ex sua item fide & fructibus fidei in Christum, certum esse debere ac posse, nec (prout improbus mundus sublime hoc mysterium malignè detorquet) inde sequi, multò minùs asseri posse, Electum, utut in omni impietate, quam ipsi libitum fuerit, persistat, æterna salute tamen excidere non posse: Contrà, qui non sit Electus, utut in Christum verè credat pièque vivat, nihilominus non posse non damnari. Quòd si quis in profundo hoc mysterio ulteriùs scrutari, & præter Dei liberam, gratiosam, & justam voluntatem, alias indagare causas velit, cur, cùm omnes Homines naturâ pares essent, Deusque, pro omnipotentia sua, omnes omninò credentes & salvos efficere potuisset, his tamen aliquos tantùm ex his fide donârit, reliquos verò in suis peccatis ac voluntaria pertinacia, impietate, & incredulitate, reliquerit, ei se cum Apostolo oggerere; *Quis es homo, qui responses Deo? Figulusne potestatem habet, &c.*

Ex altera parte *Saxonici* hunc in modum sententiam suam exposuêre. 1. Deum ab æterno, & ante jacta fundamenta mundi, in Christo, non omnes, sed quosdam homines ad æternam salutem elegisse. 2. Numerum & nomina Electorum Deo soli nota esse, sicut Christus inquit, Joh. X. se *recognoscere oves suas*; Paulus, 2. Tim. III. *Deum nosse suos.* 3. Deum ab æterno eosdem elegisse. quoscunque prævidit, in tempore, vi atque operatione Verbi sui, & Spiritûs S. in Christum credituros, & in fide, usque ad finem vitæ, perseveraturos esse: Et licèt Electi ad tempus gratia Dei excidere possint, impossibile tamen esse, ut hoc finaliter & in perpetuum fiat. 4. Deum Electionis nullam causam vel occasionem in ipsis Electis, vel primam aliquam salutarem inclinationem, motum, vel assensum ad fidem invenisse; sed quicquid boni in Electis est, ex mera liberrima gratia Dei, quæ illis in Jesu Christo ab æterno data fuit, originaliter provenire. 5. Deum, quos præscivit in peccatis & in infidelitate perseveraturos, ad æternam damnationem & abjectionem præordinasse. 6. Hanc reprobationem nullo modo ex absoluto decreto & voluntate factam esse, ac si Deus, circa respectum

tum



tum infidelitatis , hominum aliquem , ex suo solo & mero beneplacito , prædamnaverit : Nullum enim fuisse ejusmodi absolutum in Deo decretum , quo ipse , vel maximam hominum partem , vel etiam unicum saltem hominem , ad æternam damnationem , vel causam ejus , sive ab æterno , sive in tempore , destinaverit ac creaverit. 7. Quod verò nihilominus tot homines in æternum pereant & condemnentur , fieri hoc justo judicio Dei , sed condemnationis causam hominibus ipsis inesse ; regnantia scilicet in ipsis peccata , incredulitatem & impenitentiam : ita ut in solidum culpa & causa reprobationis ac condemnationis existat in ipsis Infidelibus : causa verò electionis & salutis Fidelium , ex omni parte , sit mera & pura Dei gratia in Christo , juxta verbum Domini : *Israël , perditio tua ex te , salus verò tua penes me solum est.* 8. Quemlibet suæ electionis & salutis , non à priori , ex occulto Dei decreto , sed à posteriori , ex ipsius scilicet Verbo patefacto , & ex fide sua in Christum , certum esse debere & posse : Neque ulla ratione sequi , prout mundus impius & perversus hoc sublimi Articulo ignominiosè abutitur , multò minùs ita docendum , Electum in sua impietate , quamdiu velit , perseverare posse , & tamen salutem adipisci : Qui verò non electus sit , etiamsi firmissimè in Christum credat , & sanctissimè vivat , damnationem tamen aufugere haud posse. 9. Multas de sublimi hoc Electionis mysterio quæstiones à quibusdam moveri , quæ tamen & captum mortalitatis nostræ longè transcendunt , nec aliud quàm ex Paulo responsum admittant : *O homo quis tu es , &c.* 10. Hisce postremùm addidère Saxonici , quæcunque in Libro *Concordiæ* de hoc Electionis articulo doceantur , ea & vera & S. Scripturæ congruentia à se judicari : Nimirum Deum quidem ex gratia nos elegisse , sic tamen ut præviderit quinam perseveraturus & verè in Christum crediturus foret , & quos ita credituros præviderit , eos etiam elegisse & prædestinasse , quos salute & gloriâ æternâ impertiretur. &c.

## SYNODUS CARENTONENSIS,

Anno 1631.

*sur la demande faite par la Province de Bourgogne , si les Fideles suivans la Confession d'Augsbourg pourront être reçus à contracter mariage & présenter des Enfans au Baptême en nos Eglises , sans abjuration précédente des opinions qu'ils tiennent , contraires à la créance des dittes Eglises :*

Z

Le



*Le Synode déclare, qu'attendu que les Eglises de la Confession d'Augsbourg conviennent avec les autres Reformées és principes & points Fondamentaux de la vraie Religion, & qu'il n'y a dans leur culte, ni Idolatrie, ni superstition, les Fidèles de la ditte Confession, qui, avec esprit de charité & vraiment paisible, se rangent aux Assemblées publiques des Eglises de ce Royaume, & désirent leur Communion, pourront, sans faire abjuration, être reçus à la Sainte Table, à contracter mariage avec les Fidèles de nôtre Confession, & à présenter en qualité de Parrains des Enfans au Baptême; &c.*

**Decretum ORDINUM EVANGELICORUM**  
*Frankofurti, Annô 1634.*

Posteaquàm in præsentì Evangelicorum, qui ex sex Illustribus S. Imperii Circulis adsunt, Ordinum, & Eorum, qui absunt, Legatorum & Deputatorum Conventu, *Johannes Dureus*, Evangelicus Theologus, Unionis Fraternalæque reconciliationis, inter Evangelicas, tam intra quàm extra Imperium, Ecclesias, in capitibus Christianæ Evangelicæque Religionis nostræ Fundamentalibus, stabilindæ, negotium, aliquoties antehac propositum & considerationi objectum, iterùm proposuisset, & in spectabili Deputatorum Confessu, ab omnibus confœderatis Statibus (inter quos & Equestri Imperii ordo censetur) constituto, auditus fuisset, ac multorum utriusque partis, tam in Germania quàm Gallia, Anglia, & Transsylvania, præstantissimorum Theologorum, & Academiarum, protulisset sententias, de viis, quibus Christianus iste, atque in sese laudabilis, unitatis scopus obtineatur, quibus animorum utriusque partis major in dies conjunctio acquiratur, & quibus factioni Romano-Catholicæ emolumentum, quod hætenus ex observato Evangelicorum Schismate accepit, præripiatur, hæcque ipsa, partim scripto, partim typis impressa, supranominatis Statibus in manus tradidisset, cùmque unanimi planè consensu sex Imperii prænominati Circuli, prolatas prædictorum Theologorum sententiâs perpendentes, hoc equidem opus Domino Deo, ut pacis Deo, gratum, laudabile, summè necessarium, & Evangelicis Ecclesiis omnimodò utile & commodum judicassent; simul tamen æstimassent, illud esse magni ponderis atque momenti negotium, de quo multi Legatorum ac Deputatorum, qui hac vice aderant, nullas haberent instructiones, quibus ea de causa suam hac de re mentem definitè patefacere in proclivi non esset; Ideò præsentès Statuum Legati, atque Deputati,



Deputati, receperunt, se & rem, recto instituto propositam, & sententias Theologorum unà communicatas Clementiss. suis & plurimum colendis Dominis Principibus & Præpositis fideliter relatores, suoque loco ita commendaturos, ut propediem ejusmodi sequatur Declaratio, quæ Dei Verbo & voluntati sit conformis, & propiori conjunctioni atque Unitati Christianæ, inter Ecclesias Evangelicas procurandæ inserviat: Adhæc quædam optimo animo à Legatis quibusdam, qui super hac re mandata acceperant, proposita fuere, quæ nemini præjudicio forent; nempe, quòd ab una parte hi quidem consultum judicabant, ut prædictam Declarationem (quæ de modo procedendi, quem prænominatus *Dureus* proposuit, deque via, quâ pacificorum quorundam Theologorum colloquium, in quo unanimis Fidei de Fundamentalibus Salutis nostræ capitibus Confessio instituti possit, statuatur, ad exemplum amicæ illius Collationis, quæ ante triennium *Lipsiæ* inter Theologos, unius quidem partis Electorales Saxonicos, alterius verò partis Electorales Brandenburgicos, & Hassiaco-Cassellanos inita fuit) primo quoque tempore quatuor Superiores Imperii Circuli ad Electorem Palatinum; duo autem Saxonici Circuli ad Electores Saxonem & Brandenburgicum mittant; atque ut ab hisce Electoribus (ubi prius inter ipsos consensum fuerit de loco & tempore, quæ nominari queant) rogentur scriptis Literis invitatoriis tam exteri Principes, & Reges, quàm alii, velint ex suis aliquos Conventui interesse: Ab alia autem parte, alii hanc quoque proponebant utilem promovendo tam Christiano & ab omni parte approbato negotio rationem, ut scilicet salvis cujusque Electoris, Principis, & Statûs prætensionibus & juribus, rogarentur sine omni præjudicio Serenissimi Electores, Saxonicus atque Brandenburgicus, ab ordinibus hoc in loco congregatis, & ab illorum qui adsunt Delegatis & Deputatis, dignentur, inceptam *Lipsiæ* ante tres annos, inter suos & simul Hassiaco-Cassellanos Theologos, amicam collationem continuare, atque hunc in finem (si citius fieri non possit) saltem quando Pacis Universalis tractationes instituentur, Conventum indicere, cui etiam alii utriusque partis evocati, tam intra quàm extra Imperium, pacifici Theologi intersint, vel quo suas transmittere sententias queant: atque in eo Conventu huc præsertim fore respiciendum, ut consensus, quoad fieri potest, modestè ineatur in Christiana atque unanimi Confessione, quæ contineat omnia & singula, quæ salutis fundamentum concernunt, Religionis capita: in reliquis autem capitibus, disputationem atque contentionem Scholasticam esse



seponendam & aliò relegandam : promiserunt igitur Delegati & Deputati illi, qui nullas de rebus hujusmodi proponendis instructiones habebant, sed omnia hæc fideliter debito loco relaturos, ac requisitam super hisce resolutionem primo quoque tempore procuraturos; atque hoc fine politicis Electoribus Evangelicæ Religioni addictis, suam declarationem tradituros. Præter hæc etiam, & in hoc aliqui amicam consensionem suam apertè declarârunt; aliqui autem tanquam ad referendum approbârunt; quòd interea temporis omnis ab utraque parte, tam in docendo quàm scribendo, Christiana moderatio & lenitas usurpanda sit, ne scilicet ista animorum conjunctio & conformitas impediatur, sed potiùs, quantum fieri potest, promoveatur, & civilis quoque pax hac ratione eò magis procuretur; atque hoc fine, in utriusque partis Templis publicas preces esse concipiendas, quibus negotium Deo O. M. commendetur, Ejusque Majestas rogetur, velit suâ benedictione, gratiâ, & auxiliò, huic operi præsidere. In cujus rei testimonium hic recessus hac de re factus est, atque infra Subscriptorum Statuum Legatorum & Deputatorum chirographis signatus. Actum *Francofurti ad Mœnum*, 14. Sept. Anno 1634.

*Nomina Legatorum &c.*

## COLLOQUIUM CASSELLANUM,

*inter Theologos quosdam Marpurgenses & Rintelenses,  
Mense Julio ann. 1661.*

Ac primo quidem in Articulo de *S. Cœna* inter partes utrinque convenit; spirituales Manducationem Corporis Christi ad salutem omninò necessariam esse, & sine ea usum Sacramenti nemini esse salutarem — Utrique etiam fractionem Panis usualis, utilem & pium esse ritum agnovêre; — Quod ad oralem manducationem Corporis Christi attinet, quæsitum fuit, An Corpus Christi in usu Sacramenti unâ cum Pane comesto in ore uniuscujusque sumentis, tam Fidelis, quàm Infidelis, *ἀδιασάτως* præsens sistatur? Ita formatus fuit status controversiæ. Circa quem, Theologi quidem *Rintelenses* affirmativam, *Marpurgenses* verò negativam defenderunt. Quoad momentum verò convenit, quòd controversiæ istæ quæstiones, sive assertæ, sive negatæ, ipsum Salutis Fundamentum non evertant: cùm utrinque

que



que in confesso fit, in utriusque partis Ecclesiis, non obstante illâ defensione, usum Sacramenti secundum Christi institutionem, sine substantialium additione vel detractiōe, integrum & illibatum manere.

Dehinc de *Prædestinatione, Gratia, & Libero Arbitrio*, inter Collocutores pluribus actum. Convenit inter utrosque, post Hominis lapsum nullas esse, nec remansisse in ipso, residuas vires ad bonum spirituale vel inchoandum vel peragendum, totumque Salutis Humanæ negotium à Divina voluntate, beneplacito & gratia unicè dependere. Remanserunt tamen sequentes inter ipsos quæstiones controversæ. I. An Deus omnibus & singulis Hominibus, &c. — De momento circa controversias ejusmodi de Prædestinatione, Gratia, & Libero Arbitrio, itidem ita convenit; Quoniam utrinque in confesso est, Hominem ex propriis suis viribus nullum bonum spirituale vel inchoare vel perficere posse, sed hoc totum Divinæ Gratiæ deberi; sic ut Pelagiana dogmata neutra pars probet; sed utraque illa damnet, & aversetur, Semipelagiana quoque rejiciat; quia etiam regulæ Practicæ, quæ Salutem & justificationem à vera fide suspendunt, inconcussæ manent; nempe, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui non crediderit, condemnabitur*, cum similibus; Quibus Theologi *Marpurgenses* has rationes addiderunt, quòd quæstiones circa hos Articulos controversæ pleræque, vel summa voluntatis Divinæ Mysteria, & inscrutabilia judicia, vel modum Divinæ Virtutis in Homine occultum, concernunt, ac insuper plurimi homines sine talium cognitione servantur & servari possunt; idcirco visum est utrinque controversias istas non ita comparatas esse, ut dissensum in fundamento fidei inducant, sed posse etiam manentibus, quoad Deus ulteriorem gratiam uni vel alteri parti largitus fuerit, salvâ etiam sentiendi libertate, Concordiam Christianam & Pacem Ecclesiasticam stabiliri & conservari: ita ut neutra pars alteram damnet, aut acerbius traducat.

Inde ad Articulum de *Persona Christi* progressi sunt. Convenit inter utrosque, Divinam & Humanam Christi Naturam revera & personaliter esse unitas; sic ut Christus Deus & Homo sit, in Personæ unitate; & illam unionem factam esse, non ut altera Natura in alteram mutaretur aut converteretur, nec ut altera alteram absorberet, verum ut, integrâ manente in unione utrâque, simul proprietates essentielles salvæ manerent; &c. — In eo tantum remansit quæstio; An quædam Attribute Divina de Natura Humana, etiam in abstracto, prædicari queant? &c. Momentum controversiæ sic dijudi-



cârunt : Cùm convenerit 1. Christum Servatorem verum esse Deum , Patri & Spiritui Sancto ὁμοσίον , verum item Hominem , nobis per omnia , excepto peccato , similem , & duas illas Naturas in Christo , verè & personaliter , salvis utriusque Naturæ proprietatibus , unitas esse ; 2. Humanam Christi Naturam , ad Dextram Dei sedentem , ad summam gloriam esse evectam ; 3. omnes etiam Nestorii , Eutychis , Marcionis , Arii , Photini , Pauli Samosatani , Socini , aliorumque similibus , qui vel unius vel alterius Naturæ in Christo veritatem sustulerunt , vel unionem earum everterunt , hæreses & prava dogmata utrinque rejiciantur : & 4. neque Theologi *Marpurgenses* , negando communicationem Majestatis Divinæ , Unionem Personalem dissolutam velint , neque *Rintelenses* , eam astruendo , Naturarum confusio- nem inducere cupiant : quæstionem in controversia adhuc positam tanti ponderis non esse , ut qui vel affirmantem vel negantem sententiam astruat , fundamentum Fidei & Salutis evertere sit dicendus , cùm in iis , in quibus consensus est , Fidei substantia circa hunc Articulum omninò consistat.

Ex his ita ultrò citròque actis , cògnitis , perpensis atque declaratis , cùm constaret , circa ea quæ fundamentum Fidei , & Salutis constituunt , plenum esse consensum , quæstiones autem controversas fundamentum istud minimè attingere , minúsque multo tollere aut evertere , convenit inter præfatos Dominos Theologos utrinque , ne altera pars alteram , propter dissensum in prædictis quæstionibus residuis , traducat , convitiis proscindat aut damnet , sed se mutuò sincerâ & fraternâ charitate complectantur ; utrique parti addicti etiam ad hoc disponantur , quo se invicem pro ejusdem veræ Christi Ecclesiæ Catholicæ membris , veræque & salvificæ in Christum Fidei consortibus , atque Vitæ Æternæ cohæredibus agnoscant ; quod duraturæ Pacis & concordiæ Ecclesiasticæ stabiliendæ & conservandæ verum medium & firmissimum vinculum futurum sit.

Quod ut tantò feliciùs procedat , de hoc quoque convenit , Pastores utriusque partis controversias istas pro concione tractare non debere. Quòd si textus , aut alia necessitas , exigere videatur , ut ipsum dogma tangatur & explicetur , nonnisi summa cum modestia id fiat , dissentientium nulla fiat mentio , nullum ipsis verbum duriusculum excidat , quo exosi apud Plebem fiant ; minús acerbè eorum sententia exagitetur ; non affingatur aliena ; consequentiæ non agnitæ non imputentur ; sed simplex solùm Veritatis declaratio & confirmatio ex Scripturâ proferatur ; eoque præcipuè spectent Verbi Divini præcones , ut populum  
quæf-



quæstionibus difficilioribus, & captum ejus superantibus, non turbent, sed omnia ad ædificationem in Fide, Pietate, & Vita Christiano Homine digna, dirigant.

In Scholis quoque & Academiis, ubi tractandæ venerint, magna pariter cum moderatione tractentur, & citra ullam insectationem dissentientium. A personalibus omninò absteatur; si cujus dissentientium rationes expendendæ sint, sine nominis indicio expendantur, nisi certa id causa postulet; quo casu, id, non sine honoris præfatione & Charitatis Christianæ erga ipsum declaratione, fiat. &c.

## CONCORDIA REGIOMONTANA.

*Ex Novis Publicis Berolinensibus 25. Julii 1707:  
é Germanico in Latinum versis.*

Literis Regio-Monte allatis accepimus, Orphantotrophii Regii Pastores, *Reformatum & Lutheranum*, suasu & autoritate nonnullorum utriusque Partis Theologorum, eam inivisse Unionem, ut eadem mensa in administranda S. Cœna uterentur, eandemque in templo Orphantotrophii Regiomontani sibi mutuò porrigerent. Quem in finem, Pastor *Lutheranus*, die 3. Julii, habitâ Concione matutinâ Cœtum monebat, instante die Dominica Reformatorum Sacris addictos ad S. Cœnam accedere publicè posse; Die Dominicam antecedente, Pastor *Reformatus* horâ secundâ pomeridianâ Concionem habuit in I. Cor. XI. v. 28. Die 10. Jul. quæ est Dominica 3. post Festum Trinitatis, antemeridianis horis, Pastor *Reformatus* sibi præscriptum Textum Luc. 15. 1. — 7. explicavit; quò finito Liturgiam in Ecclesiis Reformatis receptam prælegit, & peractis ad Deum precibus uterque Pastor Mensæ Sacro huic Actui destinatæ adstitit; ita tamen ut *Reformatus* fractum Panem, *Lutheranus* verò præberet Calicem benedictum, Sacram Cœnam accedentibus: Sub finem hujus Actûs, Pastor *Lutheranus* Reformato & Panem & Calicem porrigebat; Uterque usus est, dum sacra Signa exhibuerunt, verbis apud Reformatos hac occasione consuetis, *Panis quem frangimus, Communio est cum Corpore Jesu Christi in Remissionem peccatorum vestrorum in Cruce fracto; Calix Benedictionis, quo benedicimus, Communio est cum Sanguine Christi in Cruce & in Remissionem peccatorum vestrorum effuso.* Hæc dum peragebantur, beneficia divina celebrabat Ecclesia, Psalmum 103. cantando, prout *Lobwasserus*, Poëta, eum exhibet. Finis huic Actui imponebatur gratiarum actione,

ne,



ne benedictione, & Cantico sacro: *Deum laudemus ac benedicamus, &c.* Sub finem Concionis hujus antemeridianæ, *Reformatus* Pastor Coetui publicè significabat proximè futurâ Dominicâ, Lutheranorum Sacris initiatos celebrationi S. Cœnæ vacaturos esse die 16. Jul. qui Dominicam 4. post Trinitatis Festum antecedit. Pastor *Lutheranus* suos publicâ Concione in Ps. L I. v. 12. habitâ ad dignæ S. Cœna utendum præparavit; Concionem sequebantur preces, Cantica sacra, & Benedictio divinitus jussa. Ipsâ Dominicâ Quartâ, quæ est 17. Julii, sibi præscripti Textûs Evangelici Luc. 6. v. 36. explicationem suppeditabat Pastor *Lutheranus*; eâque ad finem perductâ, Mensam sanctis usibus sacram appropinquabat coram toto Coetu, Liturgiam Ecclesiæ Lutheranæ probatam prælegens: Inde ad S. Cœnam accedentes è manu Pastoris Lutherani panem benedictum, è manu verò Pastoris Reformati calicem benedictum singuli accipiebant: Sub finem hujus S. Cœnæ, *Reformatus* Pastor & panem & calicem Pastori *Lutherano* sumenda præbebat: in ipso actu uterque sequentibus verbis utebatur: *Accipite, edite, hoc est Corpus Jesu Christi, quod pro vobis est traditum, quod vos confirmet & conservet cum gratia sua in vera fide ad vitam æternam. Amen. Accipite, bibite, hoc est Sanguis Jesu Christi, qui pro vobis effusus est in remissionem peccatorum, qui vos confirmet ac conservet cum gratia sua in vera fide ad vitam æternam. Amen.* Cùm hæc Sacra peragebantur, Ecclesia, Christi beneficiorum memor, cantabat: *Jesum, meum gaudium, &c.* Tandem gratiarum actione & benedictione peractâ, finem faciebat Hymnus Sacer: *Deum laudemus ac benedicamus.* Quemadmodum imitatione dignum hoc Fraternitatis Christianæ Exemplum multorum laudem promeruit, ita imprimis Potentissimus Rex Noster suo calculo adprobavit, & maximoperè commendavit.

Berolini apud Joannem Laurentium,



INDEX





# I N D E X.

EPISTOLA *ad Illustrissimum & Reverendis-*  
*simum* ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

pag. III.

PRÆFATIO.

IX.

*Brevis & pacifica de ARTICULIS FUNDA-*  
*MENTALIBUS Disquisitio.*

pag. I.

CAPUT I. *Quid per Articulos Fundamentales, & non-Fundamen-*  
*tales, intelligatur. Distinctiones quædam secuturæ*  
*tractationi præmittuntur.* 2.

CAPUT II. *Dari re verâ Articulos Fundamentales, non-Fundamen-*  
*mentales, in Religione.* 6.

CAPUT III. *Falsæ Notæ Articulorum Fundamentalium rejiciuntur.*  
10.

CAPUT IV. *Principia, quorum ope Articuli Fundamentales, & non-*  
*Fundamentales, dignosci possunt.* 15.

CAPUT V. *An certus quidam Articulorum Fundamentalium nume-*  
*rus definiri possit?* 21.

CAPUT VI. *Inter eos, quorum dissensus Fundamentalis est, Com-*  
*munitio Ecclesiastica haberi nequit.* 24.

CAPUT VII. *Inter eos, quorum dissensus non est Fundamentalis,*  
*Communitio Ecclesiastica fovenda, & mutua Tolerantia exercenda est.*  
26.

CAPUT VIII. *Exemplum Dissensûs Fundamentalis, in nostris cum*  
*ECCLESIA ROMANA dissidiis.* 38.

A a

CAPUT



CAPUT IX. *Exemplum Dissensûs non-Fundamentalis , in diffidiis  
PROTESTANTIUM ; eorum nempe qui Lutherani , cum iis qui  
Reformati dicuntur. Tanta non esse dissidia illa , quin se mutuò tole-  
rare , & concordiam inter se inire , facili negotio possint ac debeant.*

45.

CAPUT X. *Consilia quædam , ad Concordiam & Tolerantiam perti-  
nentia , proferuntur.*

55.

## COLLECTIO TESTIMONIORUM

*SCRIPTURÆ SACRÆ , Veterum Patrum , præ-  
cipuorum Reformatorum , aliorumque Theologo-  
rum , & Virorum Doctorum , cum ex Lutheranis ,  
tum ex Reformatis , DE ARTICULIS FUNDAMEN-  
TALIBUS ET TOLERANTIA.*

## T E S T I M O N I A

*Quibus ea quæ dicta sunt de Articulis Fundamentalibus ,  
& Tolerantia erga Fratres Dissidentibus exercenda ,  
confirmantur atque illustrantur.*

pag. 3.

SCRIPTORES SACRI. pag. 3. Polycarpus Smyrn. & Anicetus  
Rom. Episc. p. 9. Irenæus Lugd. & Polycrates Ephes. Episc. p. 9. Ter-  
tullianus. p. 12. Cyprianus. p. 13. Firmilianus. p. 14. CONSTAN-  
TINUS M. Imp. p. 15. Eusebius. p. 16. Athanasius. Ibid. Grego-  
rius Nazianzenus. p. 17. Hilarius. p. 21. Augustinus. p. 22. Leo  
III. Episc. Rom. p. 24. Ecclesia Lugdunensis. Ibid. Erasmus. p. 25.  
Lutherus. p. 28. Melanchthon. p. 29. Oecolampadius. p. 30.  
Calvinus. p. 31. Bucerus. Ibid. Martyr. p. 34. JACOBUS I.  
Magn. Brit. Rex. p. 35. Junius. Ibid. Pareus. p. 37. Calixtus. p.  
38. Joh. Matthiæ, Stregn. Episc. p. 39. Du Mou'in. Ibid. Mestrezat.  
p. 40. Claude. p. 41. Heideggerus. p. 42. Spanhemius. p. 43.  
Witfius. Ibid. La Placette. p. 45. Pufendorfus. Ibid. Strimesius.  
p. 47. Werenfelsius. p. 48. Ern. Sal. Cyprianus. p. 49. Buddeus.  
p. 50. Pfaffius. p. 51.

TESTI-



T E S T I M O N I A

*quædam insignia LUTHERI & DOCTORUM LUTHE-  
RANORUM, pro Concordia inter ipsos &  
Reformatos instituenda. pag. 54.*

Lutherus. p. 54. Melanchthon. p. 61. Syngamma Suevorum.  
p. 65. Brentius. p. 66. ELECTORES, PRINCIPES, COMITES,  
BARONES, & SENATUS CIVITATUM Germaniæ, in *Præfatione*  
*Libri Concordiæ.* p. 68. Calixtus. p. 68. Joh. Matthiæ, *Stregn. Episc.*  
p. 72. Pufendorfius. p. 75. Seckendorfius. p. 78. Pfaffius. p. 80.

T E S T I M O N I A

*quædam selecta ZUINGLIJ, CALVINI, aliorumque è  
REFORMATIS Theologorum, ad Concordiam  
inter ipsos & Lutheranos ineundam ten-  
dentia. pag. 87.*

Zuinglius. p. 87. Bucerus. p. 90. Calvinus. p. 93. *Confessio*  
*IV. Civitatum.* p. 95. *Confessio Helvetica.* p. 96. *Confessio Galli-*  
*cana. Ibid.* *Ecclesia Anglicana.* p. 97. *Præfatio Consensus Orthodoxi.*  
p. 98. *Ecclesia Tigurina.* p. 102. *Ecclesia Bernensis.* p. 103. *Eccle-*  
*sia Basileensis.* p. 106. Bullingerus. p. 108. Beza & Farellus, *nomi-*  
*ne Ecclesiarum Gallicanarum & Helveticarum.* p. 113. ANTONIUS  
BORBONIUS, *Navarra Rex.* p. 114. HENRICUS IV. *Gall. Rex.*  
p. 114. Du Moulin. p. 116. Davenantius, *Episc. Sarisb.* p. 117.  
Jof. Hall, *Episc. Exon.* p. 121. HELVETIÆ REFORMATÆ MA-  
GISTRATUS. p. 123. *Ecclesiæ & Academiæ Helvetiæ Reformatæ.*  
p. 125. *Ecclesia & Academia Genevensis.* p. 127. Stuckius. p. 130.  
Wirtzius. p. 133. Hottingerus. p. 134. Heideggerus. p. 135.  
Franciscus Turretinus. p. 140. Pictetus. p. 144. *Ecclesia & Acade-*  
*mia Genevensis.* p. 147. FRIDERICUS I. *Rex Borussia.* p. 150.  
Gilb. Burnetus, *Episc. Sarisb.* p. 151. Jablonski. p. 154. Gulielm.  
Wake, *Archiep. Cantuar.* p. 155. *Ecclesia & Academia Genevensis.*  
p. 158.



# ACTA AUTHENTICA

*inita non semel, vel saltem admodum promotæ, in variis  
Synodis, Colloquiis, & Conventibus, Lutheranorum  
cum Reformatis Concordiæ.*

pag. 161.

Colloquium Marpurgense. pag. 161. Concordia Wittembergen-  
fis. pag. 162. Consensus Sendomiriensis. *Ibid.* Colloquium Lipsia-  
cum. p. 165. Synodus Carentonensis. p. 175. Decretum Ordinum  
Evangelicorum Germaniæ. p. 176. Colloquium Cassellanum. p. 178.  
Concordia Regiomontana. p. 181.

F I N I S.

















